

## **Theologiae Moralis Super Decalogum Seu Decem Dei Praecepta Pars ...**

Tractatus I. Prooemialis De Principiis communibus Doctrinæ Moralis,  
Conscientia, Actu Humano, Et Peccato In Genere

**Sporer, Patricius**

**Salisburgi, 1713**

Caput I. De Conscientia.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59488](#)

C A P U T I.  
DE  
C O N S C I E N T I A.

## S E C T I O I.

*Conscientia Quid, & Quotuplex?*

## S U M M A R I U M.

1. *Quid Intellectus, Ratio, & Lex naturalis.*
2. *Quid Synteresis.*
3. *Quid Scientia moralis.*
4. *Quid Prudentia, & Conscientia.*
5. *Est Dictamen intellectus*
6. *Practicum, scilicet judicans aliquid agendum vel fugiendum, &c.*
7. *Ex Principiis communibus in particulari, seu hic & nunc,*
8. *Esse, fuisse, vel fore, scilicet agendum vel fugiendum.*
9. *Divisio conscientiae est quinaria; in rectam, erroniam, probabilem, dubiam, scrupulosam.*

## I N T R O D U C T I O.

1. *Intellectus, Ratio, Lex naturalis.*

**I**NTELLECTUS est Potentia spirituālis animæ cognoscitiva entis, seu cuiuscunque t' ei, idque quomodo libet; speculativè, practicè, immediatè & ex terminis: mediatae & per discursum: naturaliter, vel supernaturaliter per revelationem. LUMEN NATURALE, seu RATIO NATURALIS est THEOL. MORAL. PARS I. A ejus-

ejusdem intellectus virtus innata, quâ naturalibus propriis viribus, seclusâ revelatione extrinsecâ, potens est discernere verum à falso, bonum à malo; adeoque adhuc latè, quippe comprehendens omnia naturaliter cognoscibilia speculativa, practica, principia per se nota, conclusiones inde deductas. LEX NATURALIS denique *habitualiter* sumpta, & ipsum Lumen naturale intellectus se ratione naturalis partialiter, quatenus nimirum se extendit ad omnia & sola agibia, seu practica naturaliter cognoscibilia, tum principia, tū conclusiones inde deductas, quorum cognitione discernit bonum à malo: hominemq; dirigit ad bonum prosequendum, & malum fugiendum in ordine ad suum ultimum finē. *Actualiter* verò lex naturalis est ipsum dictamen rectae rationis practicum: & strictè sumpta, continet ipsa prima principia practica nota ex terminis, & conclusiones inè necessariò, evidenter, & immediate deductas, quasi quodam imperceptibili syllogismo: v.g. ex illo principio: *malum fugiendum*: itatim immediate, quasi imperceptibili discursu intelligis, blasphemandum, vel moechandum non esse: Qualia sunt pleraque præcepta Decalogi. Largè autem sumpta Lex naturalis continet illa omnia, quæ ex illis primis principiis non ita immediate & evidenter, sed solum multum consonè, & conformiter deducuntur. Vide *Scotum in 3. d. 37. q. unicā. num. 6.* Lex ergo naturalis complectitur Syntesis, Conscientiam, & Scientiam moralem ex parte.

II. Syn-

II. Synteresis

**E**st habitus cognoscitivus seu notitia primorum principiorum practicorum: scilicet generaliter dicitur bonum agendum, & malum fugiendum, seu, ut alii loquuntur: inclinans ad bonum & obmurmurans malo. Communis doctrina D. Thom. I. 2. q. 79. n. 12. Scot. in 1. d. 3. 9. §. ad questionem. Explico. Quemadmodum in intellectu nostro respectu cognoscibilium, est quidam habitus cognoscitivus primorum principiorum speculatorum, inclinans ad veritatem cognoscendam, atque a falsitate discernendam, dictus eodem nomine *Intellectu*, cui cognita sunt ejusmodi principia per se nota: *Quodlibet est, vel non est. Id est non potest simul esse, & non esse. Omne totum est maius suâ parte. Quacunque sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se, &c.* Ita in eodem intellectu respectu agibilium seu actuum humanorum est quidam habitus cognoscitivus primorum principiorum moralium seu practicorum, generatim inclinans ad bonum agendum & malum fugiendum; cui cognita sunt ejusmodi principia practica per se nota: *Bonum honestum amplectendum; malum peccati fugiendum est. Deus colendus; quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Convenienter naturae vivendum. Non plus irascendum, comedendum, &c. quam oportet. Quae & similia principia practica sunt universales, & per se notae actionum humanarum regulae, & quasi Semina virtutum incommutabilia, inquit S. August. l. 2. de libero arbitrio c. 10.* Ille autem habitus ad ejusmodi

A 2

prin-

principia inclinans dicitur Græcâ voce *Synteresis*, Latinè *Conversatio*: quod scilicet suo dictamine naturam rationalem in bono conservet, alioquin naturali infirmitate facillimè declinaturam in malum.

### *III. Scientia moralis*

3 **E**st habitus cognoscitivus seu notitia conclusio-  
num universalium ex primis illis principiis  
deductarum: E. g. Principium generale practi-  
cum dictat: *Convenienter nature vivendum est*.  
Subsumit Ratio naturalis: *convenienter nature  
vivere, est vivere temperatè*; non plus minusve  
sumendo, quam ad naturæ sustentationem satis  
& necesse sit: & concludit: Ergo *temperatè viven-  
dum est*. Item dictat Synteresis: *Malum fugien-  
dum est*. Subsumit Ratio: *furtum est malum*: &  
concludit: Ergo *furandum non est* &c. Ecce,  
notitia ejusmodi conclusionum, & habitus ad eas  
inclinans dicitur *scientia moralis*; estque duplex,  
naturalis & supernaturalis; Quòd si enim Ratio  
subsumat, & concludat ex motivo naturali: v.g.  
*temperatè vivendum est*, quia alioquin natura de-  
structur: *furtum malum est*, quia laedit jus alte-  
rius, & id nobis fieri nolumus; erit scientia mor-  
alis naturalis & Philosophica, dicta *Ethica*. Et  
definiri potest: *Habitus cognoscitivus conclusio-  
num universalium practicarum ex principiis na-  
turalibus*, seu lumine naturæ notis. Quòd si verò  
ratio subsumat & concludat ex motivo superna-  
turali seu revelato, v.g. *temperatè vivendum, non  
furan-*

Sect. I. Conscientia quid, & quotuplex? 5

furandum esse, quia Deus ita præcipit vel prohibet, erit scientia moralis supernaturalis & Theologica, dicta communiter *Theologia moralis*, & definiri solita: *Habitus cognoscitivus conclusionum universalium practicarum ex principiis supernaturalibus seu revelatis.*

IV. Prudentia & Conscientia.

**P**rudentia Aristoteli est recta *Ratio agibilium* & seu *habitus cum recta ratione activus*; quo nimirum intellectus principia, & conclusiones universales practicas applicat ad actionem in particulari, atque juxta principia & conclusiones, actiones in particulari dirigit ad suum debitum finem. Etenim neque ipsa principia prima practica, neque conclusiones universales practicæ de se sunt sufficietes ad dirigendas actiones in particulari, propter earundem diversissimas circumstantias, & ideo applicari debent in particulari per habitum Prudentiæ. Pergamus in exemplis datis. Ex illo principio: *Convenienter natura vivendum est*: scientia moralis universaliter concludit: *temperate vivendum est*. Quia autem actiones in particulari temperate vivendi habent diversissimas circumstantias: quod enim uni satis, alteri non satis, vel nimium est: ideo Prudentia consideratis omnibus applicat in particulari, v. g. mihi in his circumstantiis ætatis, complexionis, valetudinis, occupationis, ad conservandam naturam tantum cibi ac potius necesse est, & sufficit: Ergo *Tantum possum & debo sumere*. Ergo tanto jam sumpto, cessandum, &c. Similiter ex primo princi-

A 3

pio

pio, malum fugiendum est, scientia moralis universaliter concludit: furandum non est. Quia autem actiones particulares auferendi diversas quoque habent circumstantias, in quibus modo potest esse furtum, modo non esse, ideo pensatis singulis Prudentia applicat, v.g. Hæc omnino res est alterius Domini, & quidem rationabiliter invitum, quod ei auferatur vel detineatur: Ergo hanc rem de beo non auferre, vel jam ablatam restituere, &c. Notitia hujusmodi conclusionum singularium est actus Prudentiae, atque est ipsissima *Conscientia*, saltem recta, & vera practice, ut mox videbis.

## ASSERTIO I.

**C**onscientia est dictamen intellectus practicorum ex principiis communib[us] judicans aliquid in particulari, seu hic & nunc agendum, ut bonum honestum, vel fugiendum, ut malum in honestum, esse, fuisse, vel fore. Ex communi doctrina, uti docebit sequens Explicatio.

## §. I.

**D**ictamen intellectus. Conscientiam, sicut & Synteresin, ad intellectum pertinere, contra Henricum, Durandum, & alios quosdam, utramque ad voluntatem deducentes, est communis & receptissima doctrina. *D.Thomæ I. 2. q. 79. a. 13. Scoti 2. d. 39. q. 2.* Probatur I. Ex scriptura Eccles. 7. Scit enim conscientia tua, quia & tu crebro maledixisti aliis. Genes. 43. aiunt fratres Joseph: Non est in conscientia nostra, quis posuerit peccatum.

Sect. I. Conscientia quid, & quotuplex? §

pecuniam in marsupiis nostris. 2. Corinth. 1. Hec est gloria nostra testimonium conscientiae nostra. Rom. 2. Testimonium reddente illis conscientias ipsorum: Atqui scire & testari, sine dubio ad intellectum pertinent: ergo. II. Ex SS. Patribus. D. Basilis Comment. in Proverb. initio: Conscientiam vocat naturale J udicatorium. S. Justinus serm. de S. Mario. Conscientiam dicit, nihil aliud esse, quam rationis J udicium. D. Damascenus L. 2. de fide cap. 12. Conscientiam vocat Legem intellectus nostri. D. Chrysost. hom. 17. in Genes. appellat incorruptum J udicem, &c. Atqui ea omnia ad intellectum spectant, non voluntatem: ergo. III. Ex Ethymologia: Conscientia enim dicitur, quasi cum alio Scientia, sive Scientia conjuncta cum operatione, ut infra annotabimus: Scientia autem ad intellectum spectat: ergo. IV. Ex ejus divisionibus in veram, erroneam, dubiam. Item ex actibus eidem attributis, nimirum judicare, accusare, testari, ac ceteris infra n. 8. ennumerandis. Quae omnia probant conscientiam & ad intellectum pertinere, & consistere in actu judicativo, ac perinde recte dici Dictamen intellectus. Sequitur.

§. II.

Dictamen intellectus practicum, nimirum, & judicans aliquid agendum, ut bonum honestum, vel fugiendum, ut malum in honestum. Hic bene adverte Lector. Dictamina intellectus seu judicia practica, quae nimirum versantur circa veritatem rei operabilis vel ipsam operationem, alia dicuntur impropriè seu speculativè practica; quae

scilicet versantur circa operabile vel operationem in communi, abstractè à singularibus v.g. *Cuiuslibet jus suum reddendum, furtum esse malum, &c.* Et hæc si vera sint, ad synteresin vel scientiam moralem spectant. Alia dictamina dicuntur propriè seu practicè practica, quæ scilicet versantur circa ipsam operationem in particulari, seu *hic & nunc exercendam* in suis circumstantiis v.g. *Mibi hodie jejunandum hanc rem restituendam esse, &c.* Duplex autem formatur ordinariè, saltem in intellectu dictamē practicè practicum circa operationem in particulari. Unum secundū rationem superiorem, scilicet secundū rationem honestatis v.g. *hanc rem non auferendam esse, quia malum in honestum est, contra rectam rationem, contra legem Dei &c.* Et hoc dictamen licet offensivè semper sit practicè practicum, non tamen semper efficaciter, ut nimis notum. Alterum dictamen formatur secundū rationem inferiorem, scil. secundū rationem alicujus boni utilis vel delectabilis v.g. *hic & nunc hanc rem auferendā esse, quia mihi valde utilis vel jucunda est.* Et hoc dictamen practicè practicum, heu nimis sæpè efficax est ! In illo ergo priori dictamine honestatis consistit essentialiter conscientia, quippe quæ essentialiter debet esse regula directiva actionum humanarum honestarum, ad finem scilicet rectum seu honestum. Posterius dictamen utilitatis seu voluptatis, non conscientia, sed anticonscientia & actionum humanarum corruptela dici meretur.

Jam

Jam vides ergo nullum esse hoc argumentum adversariorum. Si conscientia consisteret in iudicio practico intellectus, nunquam contingere operari contra conscientiam, cum omnis operatio moralis semper supponat aliquod iudicium practicum dictans ita operandum esse. Quidquid sit de hoc; *Sequela falsa est*, non enim quodvis iudicium practicum, sed illud dictamen honestatis tantum dicimus conscientiam, contra quod dictamen honestatis, nos saepe operari nimis notum est, nimirum sequendo oppositum dictamen rationis inferioris. Magis vitiosa haec sequela esset; Si conscientia consisteret in iudicio intellectus practico, sequeretur, quod plus sciens in moralibus, esset magis conscientiosus. Falsa sequela. *Conscientiosus* enim dicitur, non qui plus scit in moralibus, sed qui habituatus est scientias morales ad operationem in particulari recte applicare, & conscientiae suae conformiter operari, quod saepè non faciunt plus scientes in moralibus.

§. III.

**E**X principiis communibus judicans aliquid in particulari seu hic & nunc agendum. Conscientiae ergo dictamen discursivum est, nitens non quidem semper formaliter, sed saepè virtuali & implicito tantum discursu seu syllogismo, cuius *majorem* ponit Syntesis: *minorem* submisit Ratio: conclusionem universalem infert Scientia moralis, particularem verò, seu *de hic & nunc* Prudentia & Conscientia. Exemplo monstratum habes supra n. 3. & 4. de temperantia & furto. Discendi

di causa applica etiam in adulterio. Synteresis ponat majorem : *Malum fugiendum est*. Subsumit Ratio: *Adulterium est malum*, ex motivo seu naturali, seu supernaturali, ut supra n. 3. Jam concludit universaliter Scientia moralis: *adulterium fugiendum est*: particulariter verò conscientia Prudentiae actus: ergo mihi hic cum hac non licet rem habere, non licuit &c. Et hinc conscientia secundum Etymon dicitur ab aliquibus quasi *concludens scientia*: quod ex principiis communibus concludat in particulari, quid agendum vel non agendum. à D. Thomâ autem, & Scoto dicitur quasi *cum alio scientia*: quia scientiam practicam universalem applicat, vel conjungit cum actione in particulari. Item dicitur quasi *cum se ipso scientia*: quod quis per eam sibi ipsi conscientius sit recte vel male factorum. Eleganter S. Thomas in 2. d. 5. q. 2. a. 4. in corp. inquit: *Ei inde dicitur conscientia, quasi cum alio Scientia: quia Scientia universalis ad actum particularem applicatur: vel etiam, quia per eam aliquis sibi conscientius est eorum, qui fecit, vel facere intendit.* Hæc S. Doctor. Et hinc ulterius.

## §. IV.

**J**udicans aliquid agendum vel fugiendum esse, fuisse, vel fore. Conscientia enim dictans in particulari bonum agere, & malum fugere respicit illud bonum & malum non tantum ut praesens seu hic & nunc esse, sed etiam ut præteritum, vel futurum, seu tunc & ibi fuisse, vel fore quidpiam bonum vel malum, licitum vel illicitum. Atque hoc

Scđt. I. Conscientia quid, & quotuplex? **I**

hoc diverso respectu diversos illos exercet actus, quos ei attribuunt passim S. Litteræ, Patres & Doctores I. Conscientia, prout respicit bonum agendum in præsenti, hos exercet actus: *inclinat, approbat, confortat.* Similiter quatenus respicit malum in præsenti: *reprehendit, recalcitat, obmurmuras.* II. Conscientia prout respicit bonum in futuro, *consulit, excitat, urget.* Similiter autem quatenus respicit malum in futuro, *retrahit, terret, ligat.* Unde conscientia dicitur *Lex scripta in cordibus, Magister, Pedagogus, Corrector, incorruptus Index.* Origenes in c. 2. ad Rom. Conscientia spiritus Corrector est, & Pedagogus anima, ut de melioribus eam admoneat. & de culpis castiget, atque arguat. D. Chrysost. hom. 54. in Genes. Nullus prætendat, quod virtutem negligat, vel quod non habeat aliquem viam Ducem & Demonstratorem. Sufficiemus enim habemus magistrum Conscientiam; & fieri non potest, ut quis illo adjuvento privetur. III. Conscientia quatenus respicit bonum in præterito: *complacet, testatur, latatur.* 2. Cor. 1. Glorja nostra hac est, testimonium conscientia nostra. Prout verò respicit malum in præterito factum; *remordet, accusat, convincit, condemnat.* Qui actus communiter dicitur *Vermis conscientiae etiam in damnatis duraturus.* Isaiæ 66. *vermis eorum non morietur.* Sap. 4. *Venient in cogitatione peccatorum suorum timidi, & traducent illos ex adverso iniquitates eorum.*

Et jam ergo elucidere tibi debet definitio conscientiae, & differentia ab aliis principiis moralibus

&

& practicis. I. Differt maximè à lumine, ratione  
lege naturali: Hæc enim sunt inseparabilia ab in-  
tellectu, & uniformia in omni homine: Conscien-  
tia verò est separabilis, mutabilis, diversa, non tan-  
tum in diversis hominibus, sed etiam in eodem  
homine pro diverso tempore. II. Differt à Synt-  
resi: Quia hæc in genere dictat bonum prose-  
quendum, malum fugiendum, neque ullam ad-  
mittit ignorantiam, errorem, dubium, oblivionem.  
Conscientia verò in particulari dictans hoc licere,  
vel non licere, maximè admittit ignorantiam, er-  
rorem dubium, &c. ut Sect. 2. constabit. III. Dis-  
fert à scientia morali: quod hæc universales, con-  
scientia autem particulares conclusiones practi- se h  
cas inferat, ut ostensum est. IV. Differt aliqualiter con-  
à Prudentia: Quia hæc tanquam virtus moralis scie-  
absolutè accipitur pro habitu, & semper est de me-  
veris, & bonis practicis; conscientia autem præ- nea  
terquam, quod possit etiam esse de falsis practicis, tūm  
ac moraliter mala seu culpabilis, ut videbitur, ab- nih  
solutè semper accipitur pro actu, & non pro habi- tem  
tu acquisito. Conscientia enim debet esse imme- que  
diata regula actus humani, sola autem conscientia lumen  
actualis, minimè verò habitualis, est immediata pul-  
regula actus humani, ut patet. Denique quamvis lig  
prædicta maximè differant à conscientia, omnia  
tamen ad conscientiam formandam necessariò scie-  
concurrere, vel ex dictis manifestum est. Unde est,  
nec mirum videri debet Sanctos Patres & Docto- omi  
res tam variè appellare conscientiam. Certè D. Hieronymus in caput. I. Ezechielis, conscientiam sive  
etiam

etiam vocat synteresin, legem naturalem, sc̄intillam rationis, quæ in Cain quóque peccatore non extinguitur, &c. Accipiunt enim conscientiam non præcisè & formaliter, quatenus est immediata actionis humanæ Regula, sed latius, vel causaliter pro præcipuis concurrentibus ad formandam conscientiam in homine.

*Conscientia Divisiones.*

**N**otissima & congrua est Divisio quinaria, conscientiæ in Rectam, Erroneam, Probabilem, Dubiam, Scrupulosam. Ratio divisionis est: Quia quinque potissimum modis contingit intellectum ex principiis communibus judicare vel acti- se habere circa actionem in particulari. Aut enim liter concludit ex principiis veris & certis, & erit con- ral scientia recta: aut ex principiis falsis, creditis ta- t de men pro veris & certis; & erit conscientia erro- rora: aut ex probabilibus seu vero similibus tan- icis, tum; & erit conscientia probabilis: aut intellectus ab nihil concludens, suspensus manet circa honesta- abi tem actionis; & erit conscientia dubia: aut deni- me que intellectus inani motivo titubans malum so- lentiū suscipiatur & timet; eritque conscientia scri- pula.

vis Altera necessaria est Divisio Conscientiæ in ob- 10  
unia ligantem, & consulentem, & permittentem. Con-  
scientia obligans, seu præcipiens, vel prohibens  
nde est, quæ dictat aliquid necessariò esse agendum vel  
to- omittendum sub cu lpā vel pœnā: v. g. *Hodie je-*  
*D. iurandum, non furandum esse.* Conscientia con-  
fusdens, seu suadens, & dissuadens est, quæ dictat  
ali-

quid agendum vel omittendum solum ad melius  
esse, seu ut magis conveniens ad honestatem vel  
salutem: ut *Cælibatum servandum &c.* Conscien-  
tia permittens dicitur, quæ solum dictat aliquid  
hic & nunc esse licitum: v. g. mihi hodie ob iter,  
vel labores licere solvere jejunium, &c. Conscien-  
tia denique etiam dividi solet in bonam & malam  
& dupliciter intelligi potest. I. *Habitualiter*, in  
ordine ad actus præteritos vel futuros. Sic enim  
bonæ conscientiæ dicitur, qui sibi conscious est re-  
cte factorum, ac habituatus ad recte facienda:  
contrario dicitur quis conscientiæ malæ. II. *Actu  
aliter*, conscientia bona dicitur, quæ quoad fieri  
potest, secundum rectam rationem & legem De-  
formata hominem ad bonum dirigit & à malo  
revocat. Conscientia mala verò dicitur, quæ ve-  
culpabili ignorantia vel malitia, malum sub ratio-  
ne boni prosequendum inculcat: quò spectat eti-  
am conscientia communiter dicta *perversa, cau-  
teriata, &c.* qualis solet esse Hæreticorum, malo-  
rum Juristarum, &c.

## SECTIO II.

### *De Conscientia Recta, & Erronea.*

#### SUMMARIUM.

- 10. *Conscientia Recta, & Erronea definitio.*
- 11. *Quid dictamen verum speculativè, quid verum practicè.*
- 12. *Ratio ad Synteresin sepè diversimode subsumit, & ap-  
plicat.*
- 13. *Ex qua nasci solet conscientia, recta, vel erronea.*
- 14. *Conscientia recta triplex gradus.*
- 15. *Non tantum recta, sed & erronea invincibilis obligati-*
- 16. *Pro tempore, quo agendum dicitur.*

17. *Sum*

Sect. II. De Conscientia recta, & erronea. 15

27. Sub peccato, pro ratione dictaminis, mortali, vel veniali
28. Ac etiam erronea invincibilis actum bonum efficit.
29. Contra quod solvantur objections.
30. Qualiter de malo erronee invincibiliter facto delectari liceat.
31. Conscientia erronea vincibilis ad sui sequelam non obligat positivè.
32. Bene autem negativè ad non faciendum contrarium, quādū durat.
33. Et actum sequentem formaliter malum reddit.
34. Perplexitatem tamen vel necessitatem peccandi non causat.
35. Subditus praeceptum rectum Superioris, errore illatum putans, id observare debet.
36. Confessarius Pénitentem circa esse entiale aliquid erroneous sub mortali monere tenetur.
37. Tam in materia contra se,
38. Quām in materia pro se, per se loquendo.
39. Præsertim quoad actus mere futuros, re adhuc integræ.
40. Secūs re non amplius integræ: casus difficilis.

ASSERTIO II.

**C**Onscientia Recta est, qua ex principiis veris & certis cognitis & rectè applicatis judicat in particulari aliquid agendum, vel fugiendum: Erronea vero, qua ex principiis falsis, vel falso applicatis, creditis tamen pro veris judicas aliquid agendum, ut bonum, vel fugiendum ut malum, cum revera non sit. Hæcque duplex: Una invincibilis & inculpabilis, cuius error morali studio vinci seu deponi non potuit; ideoque adhuc practicè vera est: Altera vincibilis & culpabilis, cuius error morali adhibit à diligentia deponi posset, ideoque etiam practicè falsa est & erronea. Communis doctrina. Explico.

§. I.

## S. I.

**J**udicia seu dictamina intellectus possunt esse vera vel falsa dupliciter: *speculativè & practicè*, Judicium verum speculativè dicitur, quod est conforme, falsum verò, quod est disforme suo objecto, quod nimirum ita enunciat vel dictat agendum, sicut revera res se habet, aut aliter, quam res se habeat juxta tritum illud: *Ex eo, quod res est, vel non est, dicitur propositio vera vel falsa*. Judicium verum practicè est, quod est conforme rectæ rationi practicæ, formatum scilicet ex motivo rationabili ac prudenti, juxta conditionem personæ operantis. Judicium verò falsum practicè est, quod est disforme rectæ rationi practicæ, formatum scilicet sine sufficienti ac rationabili motivo, secundum conditionem operantis. Atque in judiciis practicis dirigenibus operationes humanas omnino sufficit veritas practica. Neque enim divina bonitas vel ratio patitur hominē obligari ad veritatem speculativam circa actiones singulares, ob earum innumeratas circumstantias, tam difficulter asseverandam. Ideoque quoties intellectus adhibitâ debitâ diligentia ex aliquo rationabili motivo prudenter judicat quicquam hic & nunc in his circumstantiis, esse bonum, vel licitum, et si revera non ita sit, illud judicium seu dictamen practicè erit verum: econtra, cùm sine debita diligentia, & rationabili motivo imprudenter judicat, judicium practicè erit falsum, esto etiam res ipsa ita se habet. Et hinc discernenda conscientia erronea vincibilis & invincibilis, ut mox intelliges amplius.

§. II.

§. II.

**I**n conscientia discursivè formanda, modo ex-<sup>12</sup> plicato num. 4. & 7. Synteresis quidem majorē semper ponit veram, utpote principium praticum universale, quod non potest esse falsum. At verò, quia ratio humana fallibilis principiū illud aliquando quidem verè applicat, verum subsumento & concludendo; aliquando verò male applicat, falsum subsumento & concludendo, hinc nascitur conscientia recta, & erronea. Exemplo id intelliges. Synteresis rectissimè dicit: *Quidquid Deus præcipit, hoc faciendum est.* Jam I. subsunit rectè Ratio: *At Deus præcipit parentes honoreare, non furari: modò ergo hos meos parentes honorare, hanc rem non auferre debo, &c.* Rectissima conscientia: quia Ratio principium rectè applicat subsumento & concludendo. II. Subsumat Ratio: *Atqui Deus præcipit, diligere amicum tuum;* Ergo amicos tantum diligere, hunc verò inimicum meum odio habere debo. Econtra est conscientia: quia Ratio verissimum principium male applicat, falsum subsumento. III. Iterum subsumat Ratio: *Deus præcipit eleemosynas dare, maleficum occidere, Superiori obedire.* Ergo cum non habeam, furari debo, ut dem huic pauperi: hunc maleficum propriā autoritate mactare: jubente Superiori mentiri vel pejerare debo. Conscientia iterum est erronea: Quia Ratio, et si verum subsumat, tamē falso applicat; nimirū extenden-  
do in conclusione. Subsumpta enim vera sunt cum limitatione: DEUS præcipit eleemosynas dare, sed

THEOL. MORAL. PARS I. B.

ae

de proprio: maleficū occidere, sed authoritatē spe  
publicā: Superiori obedire, sed in lictis tantum  
Vides hic qualiter ex eodem voto principio, pro  
diversa applicatione; sequatur conscientia modō  
recta, & vera, modō erronea & falsa. Sed adver-  
te ulterius:

## §. III.

**I**lla porro applicatio principii ad conclusionem den  
practicam I. potest aliquando esse vera & spe- sā &  
speculativē, & practicē, & tunc emerget conscientia clu  
simpliciter vera & recta. Talis fuit conscientia ingr  
Jacob potensis ingredi ad sponsam suā Rachēl Genes. 29: veluti ratiocinantis: Honestum & spec  
justum est ingredi ad sponsam & uxorem suam pro priam. Principium verissimum. Sed Rachel ha  
est uxor mea propria, de sponsata septennali ser  
vitio jam absolvitor. Applicatio etiam verissima, & Den  
speculativē, quia conformis suo objecto; & praefalsa  
etice, quia conformis rectae rationi, fundata sci- qual  
licet rationabili & liquidō motivō contractus le ad L  
gitimē facti. Ergo rectissimā conscientiā inficit Jachob: Honestum & justum est ingredi ad hanc, di-pertur  
cēs: Da mihi Rachel uxorem meam; pro qua ser-tia in  
vivit tibi. Applicatio illa potest esse speculati-him  
vē quidem fallā, practicē tamen vera, & tunc si am, a  
milis sequetur conscientia, dicta erronea invincit  
ibilis. Talis fuit conscientia ejusdem Jacob ibid. sed e  
ingredientis ad Liam loco Rachelis suppositam braci  
socero Laban, ac ita forte ratiocinantis. Justum ta ju  
est ingredi ad suam. Principium verum: Atquidis,  
bas est mea uxor: applicatio hæc, seu minor, et si on  
spe

speculativè falsa, quia difformis suo objecto, practice tamē vera fuit, quia ex sufficienti & rationabili motivo sic judicavit, & secundūm rectam rationem nec debuit, nec potuit judicare aliter. Non enim debebat, nec licet poterat, sine causa de proximo suo, præsertim consanguineo & socero La-bano judicare vel suspicari malam fidem & frau-dem in re tam gravi. Ergo, licet speculativè fal-sā & erroneā, practice tamen omnino verā con-clusione & conscientiā intulit Jacob : *Licet mihi  
ingredi ad hanc.* Et dicitur hæc conscientia er-roneā, invincibilis & inculpabilis : quia error ille speculativus, eo ipso, quia ex rationabili motivo processit, ut rectâ ratione aliter judicari non pos-sit vel debeat, censetur mortali studio, non posse vinci vel deponi, nec consequenter culpabilis. III. Denique applicatio illa potest esse etiam practice pra-falsa, & nascetur conscientia erronea vincibilis, sci. qualis potuisset esse conscientia Jacob ingredientis le ad Liam, si à viro gravi & fide digno de fraude præ-tationitus, aut ipse fraudulentiam socii sèpiùs ex-di-pertus fuisset, & tamen sine alia adhibita diligen-tia inquirendæ veritatis ad Liam intrasset: Esto elati-nimi verum principitum: *Justum est ingredi ad su-ciam,* at applicatio: *Hab est mea:* falsa fuisset, non ci-antum speculativè, quia difformis suo objecto, bid, sed etiam practice, quia difformis rectæ rationi m practicæ: quia sine sufficienti rationabili motivo sumta judicasset, si habita probabili suspicione frau-dulis, alias diligentiam cognoscendi veritatem etiun adhibuisset: Consequenter conscientia specu-lati-

lativè & practice falsâ & ertoneâ ad Liam intrâset, & peccâisset. Et dicitur talis conscientia *vincibilis & cupabilis*: quia eo ipso, quo absque sufficienti motivo sine debita diligentia inquirendi veritatem erratur, censetur error morali studi vinci ac deponi potuisse, adeoque culpâ non vacare in re, quam scire debemus: Ut si die jejunii dubitans de præcepto, absque alia inquisitione tibi persuadeas, *non esse jejunium, licere vesci carnibus &c.* Conscientia erronea vincibili & culpabili esset, nec excusaret à transgressionis peccato: infra audies. Jam utique capis definitiones datur conscientiæ rectæ, & erroneæ, & invincibili & vincibili.

## §. V.

**14** Conscientiæ rectæ triplex velut gradus est, p  
nes triplicis generis principia certa & infallibilia practica, ex quibus procedere debet. Conscientia recta primi gradus ac naturalis dicendum est, quæ formatur ex principiis legis naturalis: *e.g. mihi non esse furandum: Quia, quod tibi nolis fieri, alteri ne feceris.* Unde sicut ipsa lex naturalis, ita hæc inde evidenter deducta conscientia omnibus communis est, nec unquam extinguitur: juxta illud Apost. Rom. 2. Gentes, quam  
gem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, sciunt. Qui ostendunt ejusmodi opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientiæ ipsorum. Conscientia recta secundi gradus est, quæ formatur ex principiis Legis divinæ positivæ per S. Scripturam vel traditionem inf-

libilem propositis intellectui: quæ quidem sicut contingit ignorari vel variis opinionibus involvi ( unde tot hæreses & opiniones etiam in rebus fidei & morum ) ideo conscientia inde dedueta varia & etiam erronea invincibilis esse potest. Conscientia recta tertii gradus est, quæ formatur ex legibus positivis humanis Ecclesiasticis vel Politicis: quæ principia sicut eatenus solùm infallibili sunt, quatenus Legi divinæ conformia apparent, ita conscientia inde deducta eatenus tantum certitudinem trahit: ideoque multò magis exposita est errori. Conscientiæ denique erroneæ gradus vel principia non possunt assignari, cùm contingat infinitis modis errari. Causas lege apud S. Antonin. p. 1. Tit. 9. c. 12. P. Marchant. h̄c. Nunc verò utriusque conscientiæ obligatio explicanda venit,

### ASSERTIO III.

**C**onscientia non tantum recta, sed etiam erronea invincibilis tempore, quo durat & agendum dictat actu vel virtute, obligat ad sui sequelā sub peccato, pro ratione dictaminis, mortali vel veniali, actum verò conformatum honestum, seu moraliter bonum efficit. Hæc, quoad conscientiam rectam, est omnium extra controversiam. Et quoad erroneam est communis DD. D. Thom. I. 2. q. 19. a. 5, D. Bonavent. in 2. d. 39. a. 1. q. 4. Azor. I. 2. c. 8. q. 3. Sanchez I. 1. Moral. c. 11. n. 1. Vasq. disp. 59. c. 2, qui cum aliis merito etiam ceniet esse de fide.

B 3

§. I.

## §. I.

**I**5 Conscientia non tantum recta, sed etiam erronea invincibilis præcipiens, vel prohibens obligat ad sui sequelam sub peccato. Id perspicue docet Apostolus Rom. 14. ubi cum docuisset in Lege Christiana nullum cibum esse immundum; nihilominus asserit, Judæos conversos, qui ex conscientia erronea putant, cibos Gentilium esse immundos ac vetitos, verè peccare, si comedant. Scio, inquit, & confido in Domino Jesu, quia nihil commune est per ipsum, nisi ei, qui existimat quid commune esse, illi commune est. Hoc est prophænum, immundum, &c. & paulò post: Qui autem discernit, si manducaverit, damnavus est: Quia non ex fide. Omne autem, quod non est ex fide, peccatum est. Hoc est, peccat, quia non agit secundum fidem seu credulitatem ac dictamen, licet erroneous, conscientiae suæ. Similia habet I. Corinth. 8. de Idolothytis. Unde c. litteras. De restitu. spoliat. dicit Innocent. III. Quidquid fit contra conscientiam, edificat ad gehennam. Lege D. Bernardum I. de præcepto & dispensatione. Ratio manifesta est: Quia ipsum dictamen conscientiae proponens voluntati aliquid, ut lege præceptum vel prohibatum, bonum vel malum, licitum vel illicitum, est immediata & intrinseca lex & regula voluntatis in operando, seu actionum humanarum; atque adeò omnis lex præcipiens vel prohibens aliquid obligat sub peccato præcisè quatenus proponitur voluntati per dictamen intellectus saltem practice verum: ergo non tantum conscientia re-

cta,

ea, sed etiam erronea invincibilis, practicè verè dictans aliquid esse præceptum vel prohibitum, &c, obligat voluntatem ad sui sequelam sub peccato, ut contrafaciens, v. g. erroneè putans hodie esse diem festum, & Sacrum omittens &c, verè peccet.

§. II.

**C**onscientia etiam erronea obligat pro tempore.<sup>16</sup> Crede, quo agendum dictat. Nam sicut alia lex affirmativa, ita etiam conscientia recta vel erronea præcipiens aliquid, obligat non pro semper, sed pro certo tempore, quo agendum dictat: ut si Iudæus converlus erroneè credat, si debere filium circumcidere, obligabitur solum statu die octavâ, non alias. Et sicut alia lex negativa: ita etiam conscientia erronea prohibens aliquid obligat & semper, & pro semper; ut si quis credat, esse illicitum veseporcinâ tenebitur semper abstinere. Itaque quamdiu durat, & dictat actu, vel virtute, quodsi enim ea conscientia erronea aut omnino deposita sit, & error correctus per oppositum rectum judicium; aut etiamsi habitualiter maneat, attamen hic & nunc actu vel virtute non dicet, sed quis planè immemor suæ prioris opinionis, oppositum agat, utique prior conscientia erronea non amplius obligabit: neque actus contrarius poterit esse contra priorem conscientiam factus. Accedit, quod homo immemor prioris conscientiae erroneæ operans ordinariè habebit judicium contrarium, nimis aliiquid non esse illicitum: cui actui tunc actionem conformare debet, & nullo modo opinioni priori, cuius ne recordatus quidem.

B 4

§. III.

## §. III.

**C**Onscientia omnis obligat sub peccato, præ ratione dictaminis, mortali, vel veniali. Ut conscientia seu vera, seu erronea dicet, aliquid esse præceptum vel prohibitum sub mortali, transgressio voluntaria erit peccatum mortale: si sub veniali tantum, veriale. Sin autem de his dubitet, transgressio adhuc erit mortalis, juxta dicere infra, 4. *De Conscientia Dubia*. At hic difficultas est: Quid si conscientia seu recta seu erronea generatim, confuse, & indistincte dicteret, aliquid esse malum seu peccatum; v. g. mentiri, jurare &c. nihil cogitando de mortali vel veniali, gravi vel levi culpa, & sic tamen operans quomodo peccabit, mortaliter, an venialiter tantum? Mortaliter peccare affirmant Doctores communis, Sanchez l. Moral. c. 11. n. 16. Azorius, Sayrus, Reginaldus, alii cum Bonacina disp. 2. de p. cat. q. 4. punct. 6. Franciscus Bardi discepe. 3. de Conf. c. 8. Eò quod talis adhuc censeatur se expondere periculo peccandi mortaliter, ideoque mortaliter peccet. *Deinde* quandocunque intellectus apprehendit, vel judicat practice aliquid esse malum vel peccatum, semper ponitur in voluntate obligatio inquirendi, an malitia illa sit gravis vel non: ergo si absque illo prævio examine operetur malum illud propositum, cuius gravitatem non agnoscit, imprudenter agit, & periculo graviter peccandi se exponens hoc ipso peccant mortaliter. At contraria talem venialiter tantum peccare sentiunt Navarrus *Man. prælud.* 9. Cajet. Lopez. V. Lent.

lent, aliū apud Salas hic tract. 8. disp. an. sect. 3. qui probabilem censet: Eò quod tota ratio mali seu peccati reperiatur etiam in peccato veniali: Ergo voluntas amplectens simpliciter malum seu peccatum ut sic nullā cognitā notabili gravitate, non debet censeri velle peccare graviter, sed leviter tantum. Neque censeri debet se exponere periculo peccandi mortaliter, quia, ut supponitur, nullum hic tale periculum agnoscitur. Utraque Sententia probabilis, immo vera est cum distinctione, ut bene resolvit Thom. Tamburinus l. 1. in Decal. c. 1. §. 3. num. 2. Nim. Doctiores quidem eo statu debere censeri peccare pro ratione materiæ mortaliter, ut si tali statu, mentiantur cum juramento, vel venialiter, ut si mentiantur simpliciter. Hi enim agnoscunt obligationem illam inquirendi gravitatem mali operandi, atque adeo presumuntur cognoscere saltem virtualiter, & consequenter velle objectum peccaminosum in ea gravitate, quæ revera est; adeoque peccare pro ratione materiæ gravis vel levis, mortaliter, vel venialiter: At vero homines rudes, simplices, indoctos eo statu solum venialiter delinquere, probabilissimum est, cum enim ii distinguere nesciant, nec consequenter advertant obligationem inquirendi, utrum malum apprehensum mortale vel grave sit, an vero veniale & leve, censendi sunt velle solum rationem imperfectam & abstractam malitiæ, qualis etiam reperitur in peccato veniali: ideoque solum peccare venialiter. Idque etiam posse contingere Doctoribus eo statu, quando gravitatē mali genera-

B f

tim

tim propositi inculpatè non advertunt, non dubito cum Tambur. cit. num. 32. in fine: Quia etiam sapiens non semper sapit,

## §. IV.

**I**8 **C**onscientia non tantum recta, sed etiam erronea invincibilis actum sibi conformem honestum, seu moraliter bonum efficit. Communis DD. apud Fran. Bardi. *De Consc. Discept.* 3. c. 3. Ratio est: Quia actus humanus sumit suam specificationem, adeoque honestatem, seu honestatem & malitiam moralem ab objecto, non secundum se, prout est à parte rei, sed ut proposito seu representato ab intellectu per dictamen rectae rationis, si non speculativè, saltem practicè verum: cum enim voluntas potentia cœca, non possit renderere in objectum, nisi ut propositum ab intellectu intellectus autem noster pro hoc statu difficulter cognoscat singularia, praesertim practica, ob eorum diversissimas circumstantias, nec ratio, nec honestas divina permittit voluntatem in honeste operando dependere ab objectis prout sunt in se, sed prout rationabiliter proponuntur ab intellectu: atqui etiam conscientia erronea invincibilis practicè verè proponit aliquid esse bonum honestum, v.g. mentiendum officiōsē pro servanda vita proximi; furandum ditorū, ut de sequenti, &c. ergo voluntas in sua operatione sequens conscientiam etiam erroneam invincibilem efficit actum honestum seu bonum moraliter, illius nimis virtutis, cuius esse rationabiliter putantur: adeoque tunc mentiri, vel furari erit verus actus moralis


lis misericordiae vel charitatis, & tunc etiam meritorius: sicut econtra, non sequens vel contra faciens efficit actum peccaminosum, contra illam virtutem. Ex dictis bene intellectis facile solves ea, quorum possunt fieri

### OBJECTIONES.

I. **M**Alum non potest præcipi vel obligare<sup>19</sup> hominem: sed id quod conscientia erronea dictat, v. g. *mentiri ad liberandum hominem, &c.* est vere in re, & intrinsecè malum: ergo illa conscientia non potest præcipere vel obligare hominem. II. Sequeretur hominem tunc à DEO obligari ad aliquid verè coram se & intrinsecè malum: consequens est absurdum: ergo. III. Præceptum Judicis superioris: sed conscientia est velut *Judex inferior*: Deus autem lege sua recta dictans est *Judex superior*: ergo conscientia erronea non potest obligare tali casu. IV. Si quis ex conscientia erronea judicaret amorem DEI tuper omnia esse illicitum, talis contra conscientiam suam agendo, & amando DEum super omnia, utique non peccaret, cum amor Dei super omnia essentialiter excludat peccatum: ergo aliquando conscientia erronea non obligat, Resp. ad I. Distinguendo M. Malum formaliter ut malum, scil. practicè propositum voluntati in ratione mali, non potest præcipi, vel obligare hominem: concedo M. Malum materialiter tantum, quando formaliter & practicè proponitur voluntati sub ratione boni,

non

non potest præcipi, vel obligare hominem: nego Majorem, & consequentiam. Ad H. Etiam distinguo sequelam M. Sequeretur hominem a Deo obligari ad malum per se, & quando proponitur ut malum: nego seq. M. Per accidens tantum ratione conscientiae erronee invincibilis prudenter proponentis illud ut bonum: concedo seq. M. & nego absurditatem propter rationem paulò antè dictam num. 18. Ad III. Iterum distinguo Majorem. Præcepsum Judicis inferioris non potest obligare contra præceptum superioris, quando constat præceptum contrarium Judicis superioris, concedo M. Quando præceptum contrarium superioris ignoratur, & idem cum præcepto inferioris invincibili putatur, ut in proposito: Nego M, & consequentiam. Ad IV. nega suppositum: posse nimirum pari errorem invincibilem, quo homo judicet amorem DEI super omnia esse illicitum. Quid enim lumine naturæ evidentius, quam summum Bonum super omnia esse amandum? Et gratis admissi tali errore invincibili dic, eo stante, hominem non posse amare Deum super omnia propter ipsam rationem in objectione allegatam. Amaret enim DEUM super omnia, & non amaret, quia agit aliquid DEO Displicens seu illicitum,



Quæ-

Quæstio incidens.

Ergo licebit postea delectari de tali opere  
intrinsecè malo: v.g. perjurio, homici-  
dio, adulterio, tamen ex conscientia er-  
ronea invincibili bene facto?

Certum est, licet, quamdiu durat conscientia 20  
erronea invincibilis dictans fuisse bonum.  
At postquam, deposito errore, cognovisti, actum  
fuisse intrinsecè malum, ita distinguendum est.  
De tali actu præterito, materialiter sumpto se-  
cundum se, prout in se est, & jam cognoscitur  
esse intrinsecè malus, postea delectari, est pecca-  
tum mortale ejusdē speciei cum ipso actu, quem  
admodum de pollutione in somniis inculpatè ha-  
bita secundum se delectari mortale est secundum  
omnes: Objectum enim simpliciter malum est.  
At verò de tali actu præterito formaliter, quatenus  
nimirūm ita ex errore invincibili bene factus, &  
non cum cognita malitia malè peractus est, po-  
stea delectari, non solum licitum, sed etiam san-  
ctum est. Objectum enim honestum est. Perinde  
enim est ac delectari & sibi complacere; quod ta-  
li actu non peccaverit. Sed hæc infrà ex profes-  
so disces c. 6. de Peccatis.

ASSERTIO IV.

Conscientia erronea vincibilis, non obligat  
positivè ad sui sequelā, sed negativè tantum  
ad non agendum contrarium, quamdiu durat:  
Communis doctrina cum D. Thom. supra q. i. 9:  
a. 6:

§. I.

## §. I.

**N**on obligat positivè ad sui sequelam. Ratio est: Quia nulla potest esse obligatio ad malum formaliter: sed actus factus ex conscientia erronea vincibili, culpabiliter dictante bonum, quod reverà malum est, & ipse formaliter malus est, & indirectè saltem voluntaritus in sua causa, scilicet errore vincibili: Eo ipso enim, quod, cum potuisses & debuisses vincere errorem inquirendo veritatem, culpabiliter neglexisti; sicut indirectè saltem voluisti ipsum errorem, ac voluntatiè malum pro bono habuisti: ita operando censuris indirectè saltem voluisse ipsum malum voluntatiè ignorantum: Ergo conscientia erronea vincibilis non potest obligare positivè ad sui sequelam, quin potius actum sequentem formaliter malum efficit.

## §. II.

**O**bligat negativè ad non faciendum contrarium, quamdiu durat. Ratio est: Quia nunquam licet agere id, quod actu proponitut esse malum: Sed conscientia erronea etiam vincibilis, falso licet, dictans aliquid esse agendum ut bonum debitum; v.g. peierandum ad liberandum hominem: Hoc ipso dictat ejus oppositam; utpote, nolle peierare ad liberandum hominem, esse malum contra misericordiam vel charitatem: Ergo conscientia erronea vincibilis, quamdiu durat & dictat, obligat negativè ad non faciendum oppositum: idq; pro ratione dictaminis, ut suprà n. 17. De conscientia erronea invincibili explicatū est.

## §. III.

§. III.

**C**Onscientia ergo erronea vincibilis & actum sequentem, & actum contrarium formaliter malum efficit, ut sive agas secundum, sive contra conscientiam, semper pecces, ut in exemplo positio, sive pejores, sive pejorare nolis, semper graviter peccabis: Si enim falsum juras, peccabis peccato perjurii, a quo te; saltem in toto, non excusat error vincibilis: Sin autem falso jurare hollis ad liberandum hominem, peccabis contra conscientiam actu dictante non jurare esse in alium contra misericordiam vel charitatē. Et quidem, ceteris paribus, gravius peccatum erit agere contra, quam secundum conscientiam culpatè erroream; Quia, ceteris paribus, gravius peccatum est, quod fit ex scientia, quam quod fit ex ignorantia etiam culpabili, quae, saltem non affectata, semper minuit voluntarium, & consequenter peccatum: atqui illud, quod fit secundum conscientiam erroneam vincibilem, fit ex ignorantia actuallì et si culpabili? Quod vero fit contra illam, fit ex scientia seu actuallì dictamine, malum esse illud: Ergo hoc, illo gravius est, ceteris paribus. Quia vero in casu singulari raro sunt cetera paria, ideo attendenda erit quantitas materiae, & inde iudicandū majus vel minus peccatum: v.g. Si conscientia erronea dicit officiū mentendum esse pro servanda vita hominis, gravius erit utique non mentiri, quam mentiri: si vero dicit etiam pejerandū esse, gravius erit falso jurare contra virtutem Religionis, quam nolle jurare

jurare solum contra misericordiam actu prætemporiam, sed falsò. Sanchez l. I. mor. c. 11. Vasq. Azor. alii multi apud Frane. Bardi. Discept. 3. c. 5.

## §. IV:

**24** Conscientia tamen erronea vincibilis non causat perplexitatem; seu necessitatem peccandi, ut quidquid homo agat, vel omissit, necessariò peccet, absolutè & simpliciter, sed solum secundum quid, & ex suppositione talis conscientiae erroneæ, quamdiu durat: quam, quia potest & debet deponere, ac corrigeri & agere secundum rectam rationem, si culpabiliter retineat, nil mirum, stante uno absurdo sequi & alterum. At quid si homo non possit se expedire, sed perplexus manens invincibiliter utramque partem v.g. mentiri & non mentiri pro liberatione hominis: sacrificari non jejunum, & non sacrificare propter scandalum. Negligere Sacrum ob servitium infirmi, & non negligere. &c. putet esse peccatum? Respondetur aut eligendum esse, quod minus appetit peccatum aut si ne hoc quidē dijudicare possit, sed utrumque æqualiter & indistinctè putet esse, peccatum eligat sive unum, sive alterum, non peccabit: Quia nemo necessitate peccat: necessario autem unam partem v.g. aut mentiri, aut non mentiri eligere debet. Nec refert, quod ipse se judicet peccare: Quia peccatum non consequitur ad judicium intellectus, sed ad actum liberæ voluntatis: At in proposito deficit libertas sufficiens ad peccandum. Sanchez cit. l. I. mor. c. 11: n. 14. alii communiter:

Quæstio incidens.

Quid si Conscientia Erronea subditi putant  
aliquid esse illicitum, concurrat cum præcepto Superioris idipsum recte præcipiens?

Certum est, quando Conscientia subditi est 25  
erronea invincibilis, eam plus obligare, quam  
præceptum contrarium quantumvis rectum cu-  
juscunque Superioris. Ratio patet: Quia subditus  
tunc sequendo solum dictamen inculpatè quidem  
erroneum, sed practicè, ut supponitur, omnino  
verum, non peccat, quia prudenter sequitur imme-  
diatam regulam actionum humanarum: & conse-  
quenter obediendo contrario præcepto Superioris  
peccabit, quia agit contra immediatam regulam  
actionis humanae, scilicet dictamen rationis pru-  
denter conceptum, quo solo mediante omnis lex  
vel præceptum vim obligandi habet. Insuper, eti-  
am quando conscientia subditi est erronea vincibi-  
lis, quamdiu actu dictat, adhuc intensivè plus ob-  
ligat, quam præceptum Superioris contrarium:  
Quia adhuc est actualiter immediata regula actio-  
nis humanae, sine qua & contra quam durantem  
nulla lex obligare potest. At contra extensivè plus  
obligat præceptum Superioris: Quia conser-  
vanda conscientia subditi solum obligat ad unum,  
scilicet non agendum contraria: At præceptum Su-  
perioris contrarium obligat ad duo: scilicet & ad  
deponendam ac corrigendam conscientiam erro-  
neam culpabilem, & consequenter ad obediendum

THEOL. MORAL. Pars I. C præ

præcepto contrario Superioris, ut bene cum aliis explicant Sanchez & Bardi. ll. cc. Quo sensu intellegendus D. Bonavent. n. 4. d. 39. a. 1. q. 1. absolute docens, amplius standum esse præcepto Prælati, quam propriæ conscientiæ. Intellige, si sit Erronea & vincibilis, &c. ut explicatum est. Exempla hic consultò omitto, quia solent esse odiosa.

## ASSESTITO. V.

*Incidentalis.*

**P**oenitentem Conscientiam Erroneam in re grave laborantem per se semper tenetur informari vel admonere Confessarius: Quid si tamen pravideat informationem vel admonitionem ob futuram moraliter potius, quam profuturam, prudenter dissimulare potest, & debet. Communis doctrina apud Sanchez infra citandum.

*Explicatio & Regula.*

I.

26 **Q**uandounque Pœnitens laborat conscientia quavis erronea circa aliquid requiritum ad validam solutionem à peccatis, v.g. si ignorantia vel errore vincibili vel invincibili putaret, non esse explicandas species vel numerum peccatorum, non requiri aliquem dolorem supernaturalem de peccatis commissis, aut propositum emendandi, vel restituendi injuste ablata, &c. Confessarius id advertens sub mortali tenetur eum instruere vel admonere, secundum omnes: Quia Confessarius, quantum est de se, gravissime obligatur curare, ut valide & licite administret Sacramentum. Eadem ratione quoties-

*Sect. II. De Conscientia recta, & erronea. 35*

quotiescumque Confessarius advertit, Pœnitentem laborare conscientia erronea seu ignorantia vincibili & culpabili in materia peccati mortalis, tenetur eum informare: Quia talis esset in malo statu, & incapax absolutionis. Communis cum Scoto in 4. d. 18. q. 2. a. 4.

**II.**

**P**œnitentem laborantem conscientia erronea, <sup>27</sup> in materia peccati contra se, utpote putantem esse peccatum, quod non est, aut esse peccatum mortale, quod solum est veniale, tenetur Confessarius informare de errore, adhibitâ tamen debitâ cautelâ, ne conscientias nimium laxet; Quia Confessarius ut spiritualis Doctor & Medicus, quantum est de se, tenetur Pœnitentem liberare à peccato: Sed qui putat se peccare, vel peccare mortaliter, cum re ipsa non ita sit, ratione tamen dictaminis erronei, revera ita peccat, juxta dicta num.  
17. Ergo, &c. Sanchez l. 2. de Matrim. disp. 38. n.  
4. Communis.

**III.**

**P**œnitentem conscientia erronea invincibili <sup>28</sup> laborantem in materia peccati pro se, putantem scilicet, aliquid esse licitum, quod non est: Aut non esse peccatum, quod revera est, per se quidem semper tenetur informare Confessarius, etiam quoad actus præteritos injustos, invalidos, &c. ob rationem numero præcedenti allatam. Nisi prævideat admonitionem suam moraliter obfuturam potius, quam profuturam: Seu gravius inde malum oriturum, de quounque jure agatur. Ita

C 2

nni-

versaliter Sanchez cit. l. 2. disp. 38. n. 6. q. 10  
*Exempli gratiâ*: Advertit Confessarius. Petrus  
contraxisse Matrimonium invalidum, sive iuris  
humano, ut cum Consanguinea prioris conjugi  
intra quartum gradum; sive jure divino, v.g. pri-  
ori conjugi nondum mortuâ, &c. ex errore vel  
ignorâtiâ invincibili & inculpatâ durante etiam  
num bonâ fide: Advertit autem nihilominus,  
ipsum informet, tamen conjugem putatitiam no-  
derelictum, continuò peccaturum, aut si derelin-  
quat, oritura gravissima scandala, alia incomoda-  
ac difficultates præsentim circa proles jam suscep-  
tas. Et quamvis etiam dispensatio impetrari pos-  
set, attamen, crede mihi, magna est difficultas  
periculum in renovando novo consensu: Quid  
conjux nullitatem Matrimonii subodoratus denuo  
consentire nolle, ut nonnullibi contigit? &  
Eo casu & potest & tenetur Confessarius prude-  
ter dimissulare, imò si opus sit, etiam obligatio-  
nem debiti docere. Sanchez cit. num. 8. Ratio e.  
Quia ex duobus malis minus est eligendum. m  
nus autem malum est fornicari materialiter ta-  
tum in bona fide, quām acceptâ informatione in-  
prudenti, formaliter peccare continua perplexi-  
te; aut alia graviora mala causare. At quid si Pœn-  
tens conscientius sit nullitatis Matrimonii, atque si  
cile apprehendat, se debitum exigere non posse  
invincibiliter tamen putet, se alteri exigenti debi-  
te reddere: Eadem ratione, meo quidem judicio  
viris doctissimis firmato, tace, dissimula, præseru-  
si fœmina sit, quibus debitum negare valde diffi-

le, & periculorum est, donec interea impetratâ dispensatione eam de revalidando Matrimonii contractu instruas.

§. IV.

**P**oenitentem simili conscientiâ erronea invincibili laborantem quoad actus merè futuros, & re adhuc integrâ, Confessarius omnino tenet informare de errore, etiamsi præv. deret illum minime paritum, sed peccatum. Accipe idem exemplum: Confessarius advertit Petrum velle ducere uxorem consanguineam in gradu dirimenter, (idemque est, de quovis alio actu vel contractu illico iniquo merè futuro) qui tamen ex errore invincibili ita se posse putat: defacto tamen nondum duxit, & liberè non ducere potest: teneris Confessarie informare, etsi credas non paritum, sed gravissime peccatum. *P. Merchant hic ex communi.* Ratio est: Quia Confessarius, ut spiritualis Pastor, Doctor, Medicus animarum, ex officio suo tenet poenitentem informare de erroribus conscientiæ, nisi subsit rationabilis causa dissimulandi: Atqui hic nulla subest rationabilis causa dissimulandi, sicut in casu priori: Ille enim, qui ex errore invincibili jam contraxit Matrimonium v. g. est in possessione bonæ fidei, & si informetur, constituitur in perplexitate & periculo, aut peccatorum, aut scandalorum, vel aliorum incommodorum ac difficultatum, quibus se moraliter extricare nequit, uti supponimus: Qui autem nondum contraxit, absolute liber est, extra angustias & pericula prefata: At-

C 3

que

que adeo , sicut hic non habet causam non recedendi à suo errore , ita & Confessarius non habet causam dissimulandi tuum officium , seu non informandi eum de errore suo , & consequenter locutorum peccatorum causa per se , nullo modo erit Confessarii informatio, sed malitia libera Pœnitentis informati. At hic restat

Quæstio difficilis.

*Quid agendum in simili quoad actus futurū  
re non amplius integrā?*

30 **C**Asum singularem proponit Doctissimus illi Tho. Sanchez. l. 2. d Matrim. disp. 40. n. Accedit mulier manè fassura, & reperitur habere impedimentū dirimens , cuius detectio infamiam notabile produceret , & sunt omnia jam parata ad nuptias vesperi celebrandas , & tentatis omnibus mediis nulla evadēdi via aperitur, sed suspicio vobemens orietur alicujus criminis detecti in confessione . si fœmina abstinere velit à nuptiis, aut differre, dum Pontificia dispensatio obtinetur. Hæc ille ibi suâ authoritate docens eo casu urgentissima necessitatis Episcopum posse dispensare. At si non pateat recursus ad Episcopum , quid ager Confessarius? Si quidem videat Pœnitentem laborare errore vel ignorantia invincibili, iterum taceat, dissimulet , & bonâ potius fide , quam conscientia consternatâ agere sinat , uti ex Navarro in c. Si quis autem de pœnit. d. 7. n. 83. optimè docet saepius laudatus Sanchez cit. d. sp. 38. n. 6. post medium. At verò, quod si advertat, pœnitentem duci errori

Sect. 11. De Conscientia recta, & erronea. 39

vel ignoratiā vincibili, rationabiliter dubitare, vel suspicari de impedimento latente, & maximè, si etiam interroget ac consilium petat? *Ex communione doctrina:* 1. Veritas omnino aperienda. 2. Permittendum contrahere cum intentione faciendi, quantum licet. 3. Simpliciter interdicenda consummatio matrimonii tam reddendo, quam petendo. 4. Prætendendum privilegium primi bimestrī: Interea vel Romā dispensatio procurari poterit. Sed certe, crede mihi, Experientia docuit, hoc ultimum moderno tempore esse difficultissimæ & periculosa praxis, O quam invisum, & ad audiendum grave est novis maritis privilegium istud: Imò plerisque vix auditum. Quid ergo? Ecce: *Eo casū urgentissimæ necessitatis Episcopum posse dispensare docuit Sanchez supra etiam ad contrahendum.* Si ergo mora supperet, surge, curre, recurre, adjuva fororem tuam in tanto periculo trepidantem. Si mora desit, induc, ut ex tempore voveat Deo servare virginitatem suam, aut primo triduo matrimonii, juxta monitum ab Archang. Raphaële datum Tobiæ juniori: Aut si longiori morā opus, primis novem diebus, in honorem novem mensium, quibus Virgo Deipara Deo gravis fuit: Vel aliquid simile sanctæ intentionis. Quidni consensum saltem permissivum à novo marito nova nuptā facile blandiatur? Utinam non sèpè blandirentur multa graviora, sed iniquiora! Interea, imprestatā dispensatione, suavis quoque modus esse poterit, renovandi consensum. Quodsi tibi hæc in casu aliquo non satisfa-

C 4

clant,

ciant, consule me doctiores. Sed interim ad exemplar, quod tibi in causa matrimoniali monstratum est, disce judicium ferre in aliis materiis & casibus consimilibus.

### S E C T I O III.

#### De Conscientia Probabili.

##### S U M M A R I U M .

31. Conscientia probabilis ex principiis probabilibus,
32. Practicè certò dicitur & turò sequenda;
33. Si tamen te ante operationem practicè resolvias.
34. Hinc ante operationem bene; sed male post, inquire opinionem tibi faventem.
35. Opinionem pro libitu mutare non potes, nisi quando remanet integra.
36. Licitum est sequi opinionem verè intrinsecè probabilem.
37. Est verò illa intrinsecè probabilis quæ conformis principiis legis.
38. Extrinsecè tantum probabilem, non licet sequi.
39. Opinio communis cuilibet tutò sequenda in praxi.
40. A communi opinione in praxi non est recedendum.
41. Quomodo authoritas unius reddit opinionem probabilem presumptibilem?
42. Dantur de eadem re due opiniones opposita probables & practicè veræ.
43. Ex quibus (quantum est de honestate actionis) quam etiam minus probabilem & minus tutam sequi potest.
44. Etiam contra propriam opinionem probabiliorem tutiorem sis am.
45. Et quandoque etiam debet:
46. Ut subditus obediendo Superiori, &c.
47. Confessarius ut Judex in iudicio Sacramentali. Ac etiam
48. Confessarius ut Doctor in consiliis dandis.
49. Assertionis limitatio: Si autem nihil obstat.
50. Quando fas est sequi probabilem in vita, etiam sequi etiam licet in articulo mortis. Sed contrarium tutius.
51. Quando non de sola honestate sed etiam de valore actionis

Sect. III. De Conscientia probabili. 41

- nis agitur, relata probabiliori, non licet sequi minùs probabilem.  
§2. Aliae dicuntur tantum probabiles speculativè, aliae praktice.  
§3. Minister Sacramentorum quoad essentialia tenetur sequi tutorem.  
§4. Alias peccat mortaliter, multipliciter.  
§5. Si tamen id fieri possit, & necessitas aliud non urgeat.  
§6. Sed intellige: Quoad essentialia:  
§7. Minster tantum tenetur, non verò Positens b. g.  
§8. Medicus & Chyrurgus in applicandis medicinis sub mortali, tenentur sequi sententias probabiliores.  
§9. Apud infirmum tamen desperatum, aliquando dubiam adhibere possunt.  
§10. Iudex in causis civilibus decidendis tenetur sequi probabiliorem.  
§11. Nec, quando causa utrinque partis litigantis est aequa probabilis, adjudicare potest, cui maluerit.  
§12. Consiliarii Principis, vel Republicæ in dandis consiliis probabiliorem sequi tenentur.  
§13. Advocatus autem licet defendit causam minus probabilem.  
§14. Neque quoad hoc, eadem est ratio de Judice, & Advocate.

ASSERTIO IV.

Conscientia probabilis est, qua ex principiis seu motivis probabilibus, seu verosimilibus tantum practice certò dictat, aliquid licere, vel non licere. Ex communi Doctorum,

§. I.

Ex principiis probabilibus seu verosimilibus tantum, applicatis scilicet per opinionē probabilem infra definiendam. Quemadmodū enim quando sub principio Syntesis Ratio subsufficit aliud principium certum, vel pro certo credi-

C s tum.

tum, enascitur conscientia recta vel erronea, ita quando eadem Ratio assumit per opinionem probabilem principium incertum quidem cognitum, & cui forte falsum subesse possit, attamen certò verosimile ac probabile, nascitur conscientia probabilis seu opinativa, & ipsa quidem incerta speculativè, omnino tamen certa practicè: Idque (ne mir eris) hæc ratione: Quia opinio applicans principium probabile ad inferendam conclusiōnem practicam, non est solum judicium veritatis absolutum, non enim absolute dicit, aliquid esse verum vel falsum: Sed involvit simul judicium probabilitatis per modum enuntiationis modalis, dicens nimirum; probabiliter aliquid esse verum, seu esse probabile, quod quidpiam ita sit, vel non sit: Quamvis ergo dicta opinio simpliciter sit incerta quoad judicium veritatis, seu an res ipsa ita sit, vel non sit: est tamen, & debet esse certa quoad judicium probabilitatis (saltem alicujus tandem) quod nimirum opinio probabiliter sit vera; & res verosimiliter ita sit. Certum rursus est, conscientiam posse sequi opinionem probabilem in praxi: Et hinc sequitur conscientia probabilis practicè omnino certa. Patet in hoc discursu: *Omnis contractus justus est licitus; Sed census germanicus probabiliter est justus: ergo probabiliter est licitus.* Ubi minor, & conclusio opinativa, etiā incertæ quoad veritatem, certò tamen probabiles sunt: Et quia rursus certum est, conscientiam posse sequi opinionem probabilem, hinc sequitur conscientia practicè certa: *Ergo & mihi hic* H

nunc licet inire hunc contractum, exigendo annuo  
quinque pro centum, salvo capitali.

## §. II.

**P**RACTICè certò dicitur. Et verò conscientia 32

probabilis in praxi tutò sequenda debet semper formari per modum judicij resoluti, & practicè certi, uti cùm Navarro, Suarez, Lessio, ex communि DD. notant Layman. hic l. I. c. 5. §. I. Merchant Tribun..p. I. Tract. 5. tit. 5. Ratio est: Quia conscientia etiam probabilis debet esse regula actionis humanæ honestæ, atque operantem practicè & moraliter securum reddere de honestate suæ actionis, quòd scil. sic operando non peccet: Alioquin imprudenter ageret, & se periculo peccandi exponendo, re ipsa peccaret: Atqui nullo modo posset esse regula actionis humanæ honestæ, aut operantem ita securum reddere de honestate actionis suæ, nisi per modum judicij resoluti ac practicè certi dicitur hic & nunc licere sic operari, absque practica formidine de opposito; ne forte non licet sic operari hic & nunc: Ne forte peccet &c. Nam eo ipso, quo quis ita practicè formidat de opposito, censetur practicè dubitare: cum conscientia autem practicè dubiâ nunquam licet operari: Ergo conscientia probabilis debet esse judicium resolutū & practicè certum: Quantumvis maneat incertum speculativè & cum actuali etiam formidine vel dubitatione speculativâ de opposito: Ne forte res ita non se habeat, ne forte erret judicio v. g. ne forte census germanicus reverâ sit injustus: Ne forte res hac sit aliena. Ne forte

fortè hodie sit indictum jejunium. Si habeas probabilem opinionem, quod non; practicè certò concludes, licere tibi sic contrabere, rem retinere, jejunium non servare. Atque hinc jam capere debes Conscientiae probabilis definitionem & differentiam tum ab aliis conscientiis, tum ab ipsa opinione: Quæ definiiri solet: *Assensus rationis ad alteram partem contradictionis ex motivo probabilitate seu verosimili tantum.* Opinio enim speculativa est & universalis etiam in practicis, ideoq; semper habet annexam formidinem de opposito: conscientia autem opinativa ex opinione ducta practicè practica est, & practicè certò, sine formidine, dictat operari in particulari, uti explicatum est.

## §. III,

33 **E**x dictis advertant graviter, qui de aliqua materia vel operatione v. g. attentione requisita in Horis Canonicis &c. mente versant diversorum Authorum opiniones, utpote aliquorum dicentium: *sub mortali requiri devotionem & attentionem internā:* Aliorum: *externam tantum* aliorum: *neutram, sed sufficere prolationem verborum;* interim ipsi se non resolvunt practicè, sed manentis dubij, ac velut problematici, non curant, quid agant. Tales non habent conscientiam ullam probabilem, cum non forment sibi assensum vel judicium certum practicè, quid agendum sit: sed solum habent notitiam opinionum in aliorum judicio quasi speculativam, cum qua, absque alia resolutione practicâ, sane prudenter & licite

licitè operari nequeunt: ideoque labuntur, & peccant. Quæ verò est vanitas illorum, qui post actum commissum vel omissum, antequam vadant ad confessionem, revolvunt Authores, ut inveniant sibi faventem sententiam vel opinionem? Quasi opinio subsequens possit justificare præcedentem actionem. Aut enim antea operati sunt bona fide, & ex ignorantia vel errore invincibili: Et sic non peccarunt, nec confessione opus habent. Aut operati sunt malâ fide ex notitiâ, dubitatione practicâ, vel ignorantia vincibili & culpabili mali, non adhibentes scil. debitam diligentiam, ut scirent, an actus sit licitus, nec ne; & tunc certò peccarunt pro ratione notitiæ, dubii, vel ignorantiae, ideoque absolutè confiteri debent. Nihil ergo opinio subsequens ad finem confessionis suffragari poterit. Si verò ad alium rectum finem inquirant, v. g. ut dignoscant obligationem restituendi &c. culpandi non sunt: & hinc

§. IV.

**A**nte factum, quod si quis valde propensus, 34 ad aliquem actum dubij juris, sitne licitus, necne, datâ operâ volvat & inquirat varios Authores & opiniones, ut tandem inveniat sibi faventem, si quidem bonâ fide procedat, ut inveniat sententiam vel opinionem sibi faventem verè probabilem, & ratione vel fundamento non levis momenti nixam; is inde conformatâ conscientiâ tutò operabitur. Quia operans juxta probabilem sententiam, non peccat. Sanch. l. 1. Moral. c. 9. aliusque multis citatis Francif. Bard. His discept.

4. 19. Negari tamen non potest; modum istum procedendi esse valde periculoſum. Nam vehe mens illa inclinatio ad unam partem ſæpe facit, u non conſiderentur omnes circumſtantiae ad tem pertinentes, nec debitè ponderentur rationes in opposituin: affectu enim prædominante exacatur judicium. Quod si porrò talis procedat malâ fide, ut modò inveneriat aliquem Authorem vel opinionem ſibi faventem, ad colorandum factum ſuum, non curando, quo fundamento vel ratione nitatur, is ex tali opinione neq; conſcientiam praticè certam formare, nec conſequenter licet a tutò operari poterit. Quâ ratione veriffima est ſententia negativa Navarri. *Man. c. 17. n. 83. o*  
aliorum.

### Quæſtio incidentis.

*An in formanda Conſcientia probabili, qui pro libitu poſſit variare, modo hanc, modo ikam opinionem probabilem de eadem re ſequendo?*

35 **R**espondeſt breviter: Id quidem licere, quando res manet integra, ut ex variatione opinionis nulla lex violata maneat: Non vero licere, quando res non manet integra, ſed ex variatione opinionis necessariò aliqua lex violata manet. Exemplis hoc capies. Sint rationes utrumque probabiles, aliquod vextigal eſſe iuſtum, & eſſe iuſtum. Poſteſt Titius ſequendo opinionem probabilem, eſſe iuſtum, illud defraudare, maxime cum juvetur à poſſeſſione rei ſuæ: poſteā autem

mu-

mutata opinione, esse justum, posset illud tributum emere & ipsem exiger: Quia adhuc manet ei integrum, ut si demonstretur tributum fuisse justum, ipse antea defraudatum restituere possit. At contraria sunt opiniones utrinque probabiles, votum posse, & non posse propriâ authoritate votum in aliud opus æquale commutare: Jam si Titius vovit jejuniū in hac vigilia B. V. & sequendo illam sententiam, quod possit, commutasset in eleemosynam æqualiter Deo gratam astimatam, sicque jejuniū omittat: non poterit postea sequendo aliam sententiam quod non potuerit sic commutare. Etiam omittere eleemosynam: Quia sic votum nullo modo servabitur, saperet que fraudem & illusionem: Ita Bardi. cit. c. 14 Latiū & aliter explicat Thomas Tamburin. l. 1. in Decal. c. 3. §. 5. quem, si placet, vide.

### ASSER TIO VII.

**L**icitum est in conscientia & operatione sequi opinionem verè probabilem intrinsecè, non item extrinsecè tantum ex sola authoritate extrinsecè, absque ulla saltem præsumpta probabilitate intrinsecā. Communis, & in his terminis certissima doctrina.

#### §. I.

**L**icitum est sequi opinionem verè probabilem intrinsecè. In hoc consentiunt omnes: & Ratio est: Quia quidquid rectè & prudenter creditur licitum, etiam licet sit: quandoquidem rectum & prudens judicium sequens nemo peccet: atqui opinio

*opinio verè probabilis* intrinsecè, nixa scil. motivi rationabili, etsi incerto speculativè, rectè & prudenter judicat aliquid esse licitum: & conscientia inde formata est verus actus prudentiæ: etsi nim unà cum suo motivo maneat incerta speculativè, est tamen certa practicè: ut *supra num. 31 & 32.* explicatum est: Neque verò ad virtutem prudentiæ requiritur, ut in regulando semper vera & certa speculativè ex parte objecti, cum rebus plenisque moralibus ob innumeras circumstantias particulares vix unquam possit haberetur certitas & certitudo speculativa: sed sufficit, quod si vera & certa practicè ex parte motivi rationabili ac probabilis: alioquin vix unquam haberemus quietam conscientiam: Ergo *licitum est in conscientia & operatione sequi opinionem vere probabilem intrinsecè saltem.* Nosti jam opinionem probabilem vulgo dici illam, *quæ nititur ratione alicujus momenti*, (& sic vocatur probabilis intrinsecè) *vel autoritate gravi*, & sic vocatur probabilis extrinsecè. Jam verò prætermissis variorum de vera intrinseca probabilitate opinionis opinionibus, ex mente P. Marchant *supra citatis accipe*.

Opinio verè probabilis intrinsecè est, q*uæ principiis legis divina naturalis ac positivæ, atq*ue in his fundatis justis legibus humanis conformest, vel non repugnat.* Ratio est: Quia omnis opinio practica, ad hoc, ut censeatur probabilis practica in ordine ad operandum, necessariò debet apparet conformis vel saltem non dissona regulæ*

mensuræ actionum humanarum; ut patet ex terminis: atqui omnis & sola mensura ac regula extrinseca actionum humanarum est lex divina naturalis ac positiva, atque in his fundatæ justæ leges humanæ, Ecclesiasticæ, Politicæ: ergo omnis & sola his conformis vel non repugnans opinio censeri debet verè, intrinsecè ac practicè probabilis, eoque probabilius, quod magis conformis, & minus dissona: minus vero probabilis, quod minus conformis, magisque dissona: omnino autem improbabilius, si omnino dissona appareat, vel repugnans dictis legibus. Opinionis ergo verè probabilis conditiones & signa potissima sunt: si sit conformis, vel non dissona: 1. Juri divino innato, scripto, tradito, ob rationem datam. 2. Sacræ Scriptu<sup>ræ</sup>. Nam, quæcunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt. Et omnis Scriptura legem divinam aut significat, aut declarat, aut exemplis demonstrat. 3. Actionibus Christi humanis ordinariis. Quia ipse est via, veritas & vita. 4. Sensu Ecclesiæ & Conciliorum. Ipsa enim est Columna veritatis. 5. Doctrinæ SS. Patrum: Qui sicut splendor firmamenti ad justitiam erudiunt multos. 6. Doctrinæ Theologorum in Ecclesia communiter authoritatem sortitæ.

## §. II.

**N**on licet sequi opinionem extrinsecè tantum probabilem, &c. Hoc volumus dicere, Auctoritas quorumlibet Doctorum se sola formaliter non fundat opinionem probabilem practicè, sed solum vel concomitanter, vel præsumpti-

THEOL. MORAL. PARS I.

D

38

vñ

ve. Navarr. *Man.c.27.n.289.* Azorius *tom. I.l.1*  
*c. 16.* Arriaga de *Alt. Hum. disp. 24. seEt. 3.* Ca-  
*spens. de Consc. disp. 3. seEt. 1.* Marchant *cit. Iii.*  
*q. 4.* Bardi *cit. c. 2. alii communiter.* Sumi potest  
 ex utroque jure *c. Nicana synodus d. 32.* Sente-  
 tia Paphnutii præponitur iententiæ plurimorum  
 in eodem Concilio intervenientium. *Et l. penult.*  
*C. de veterijure enucleando.* inquit Justinianus  
*Sed neq; ex multitudine Auctorum, quod melius*  
*& equius est, judicatore: cum possit unius forse*  
*& deterioris sententia multos & maiores aliquas*  
*parte superare.* Hæc ibi Imp. Et sanè experientia  
 constat, multos alioquin doctos alicui opinione  
 subscribere non alio ductos motivo, nisi quia al-  
 sic senserunt: unde tot opiniones olim à Sapien-  
 bus etiam receptæ postea, rationibus ponderatis  
 judicatæ sunt improbables, ac etiam falliæ. Ergo  
*&c. Ratio à priori & fundamentalis est;* Quia  
 nulla opinio potest censi verè & practicè pro-  
 babilis, nisi appareat conformis vel non rep-  
 gnans rectæ rationi, vel legi, præsertim divina  
 sed ex sola auctoritate Doctorum quorumlibet  
 formaliter non apparet conformitas ulla opinio-  
 nis ad rectam rationem vel legem, nisi hæc aliunde  
 sciatur, vel supponatur: ergo sola auctoritas quo-  
 rumlibet Doctorum non fundat opinionem præ-  
 dicticè probabilem *formaliter:* sed solùm vel co-  
 comitanter simul cum rationibus ab ipsis allata-  
 quas quis examinavit, atque probabiles seu ratio-  
 ni rectæ vel legi conformes esse judicavit, aucto-  
 ritas enim Doctorum adjuncta rationi, multa  
 habet.

Sect. III. De Conscientia probabili. § 1

habet energiam, ad firmandā opinionem & conscientiam probabilem: vel præsumptivè; quia cum de veritate vel falsitate non constat, ipsa auctoritas Doctorum facit præsumptionem pro probabilitate: quia præsumere debemus tot graves Auctores non esse hallucinatos, sed rationes melius penetrâsse, quam nos capiamus. Atque hâc ratione, præsumptivè nimirum, Aristoteles definivit i. Top. i. *Probabilia sunt, quæ videntur omnibus, aut pluribus, aut sapientibus, & his vel omnibus, vel pluribus, vel spectatissimis.*

§. III.

*Opinio communis cuilibet tutò sequenda  
in praxi.*

**V**erum est: Quia auctoritas multorum Doctorum reddit opinionem probabilem, 39  
ideoque tutò sequendam in praxi, præsumptivè, ut jam explicatum est. Unde neque ordinariè tenetur quivis sequens opinionem Sapientum per se examinare opinionis rationes, sed sufficit præsumere illos non levi fundamento & ratione niti. Dico ordinarie: Nam si viro docto occurrat aliqua ratio in contrarium, quam advertit cognitam vel examinatam non fuisse ab aliis Doctoribus, non poterit prudenter statim sequi illorum opinionem in operatione, sed veritas ulterius inquirenda erit, conferendo rationem suam cum rationibus aliorum, aut ipsis Doctoribus, ut ex communi notat Bardi cit. discept. 3.c. 2. Cæterum opinio communis tutò in praxi sequenda censi debet, non quæ

D 2

plus

à pluribus solo numero, sed quæ à probatoriis  
numero competenti, arbitrio boni viri, ex pro-  
fesso defendit. Ut si sex vel septem Docto-  
rae graves aliquam opinionem ex instituto doceant.  
Navarr. cit. c. 27. num. 289. Sanchez l. 1. Mo-  
ral. c. 9. alii apud Bardi cit. c. 3. Imò quinque  
sufficere, ait Filiucius *Tractatione*. 21. c. 4. num  
141. Unde quando duæ oppositæ opinions  
probatis & classicis Auctoribus defenduntur nu-  
mero competenti, ita ut quælibet habeat sex ve  
septem. Patronos graves, utraque opinio re-  
ctè dicetur *communis*, ut notant DD. citati. Si  
contingit de censu germanico licito, vel illico: di  
attentione in Horis: de circumstantiis aggrava-  
tibus tantum confitendis, vel non confitendis, &  
similibus. Poterit ergo aliquis, cui non occurrit  
efficax ratio in oppositum, utramlibet tutò sequi.  
Denique pauciores quinque, vel quatuor (pra-  
sertim unus aut alter tantum) contra commo-  
nem aliorum sententiam, per se loquendo, & ra-  
tione solius authoritatis sùx, non redundunt op-  
tionem probabilem *præsumptivè*: Quia leve cen-  
seri debet fundamentum authoritas unius vel al-  
terius, quando communis aliorum consensus e  
in contrarium. Ex communi Layman hic c. 5. §.  
num. 6. Dico autem *per se*, aliter mox

intelliges.

§. IV.

A communi Opinione in praxi non est  
recedendum.

**V**erum est, *ceteris paribus*, quando quis so-<sup>40</sup>  
lam auctoritatem Doctorum pro motivo  
præsumptivè opinandi habet, & aliunde non est  
motivum vel ratio recedendi. Idque ordinariè  
consultum, non tamen necessarium est. Etenim  
vir doctus licet potest recedere à communi alio-  
rum sententia, inspectis & diligenter considera-  
tis, ac solutis ejus fundamentis, & amplecti op-  
inionem singularem, quæ sibi non levi motivo  
probabilis videtur. Alioquin non licuisset Recen-  
tioribus toties recedere ab opinionibus commu-  
nibus Antiquorum. Ut contra Angelum, Sylvest,  
& alios docent Sanchez. cit. c. 9. n. 4. Vasq. disp.  
66. c. 4. Azor. tom. I. l. 2. c. 17. q. 6. Laym. cit. n.  
6. Nec obstat, quod opposita sententia communis  
Doctorum censeatur, & sit probabilius; quia inter  
oppositas opiniones probabiles etiam minus pro-  
babilem tutò sequi possumus, ut assert. seq. vi-  
debitur. Quinimò, si Doctor gravis etiam unicus,  
rationes & argumenta communis opinionis suffi-  
cienter diluat; ac insuper novas rationes, decreta,  
aliave motiva ab aliis Doctoribus non animad-  
versa afferat, tunc omnino reddet opinionem suam  
singularem probabilem quibusvis, & tutò se-  
quendam in praxi. Uti notat Vasq. & concedit  
noster P. Marchant. ll. cc. Et hinc explicanda  
venit

D 3

Quæ-

Quæstio incidens.

*Qualiter Auctoritas unius Actoris reddit  
opinionem probabilem præsumptivè.*

**R**Espondetur. Auctoritas unius Doctoris, quoniam noscitur verè doctus & excellens in arte sua gravis & maturus, probus & timoratus; si rex ex professo tractet, firmamque rationem afferat nec appareat contra ipsum aliquid convincens etiamsi doceat contra communem sententiam & innumeros alios, reddit opinionem suam singularem probabilem simpliciter, ut etiam vir doctus tuto sequi possit, quanadiu non apparet aliquid convincens in oppositum: indoctus vero & simplex licet sequitur opinionem singularem unius periti & probi Doctoris, quamvis alio communiter oppositum tenere, nec rationes oppositum solvere sciatur: Quia nimirum auctoritas viri docti & probi est sufficiens motivum homini illiterato & simplici ad formandum prudens judicium: præsumere enim potest, Auctorem illum esse ejusmodi doctrinæ, qui ratione utrinque melius penetrabit, quam ipse possit: & ejus probitas, qui non temerè & sine ratione opiniones effutiat: maximè, si sit Superior, confessarius, præceptor, quem scio debere mei curare. Semper enim discipulus licet & tuto sequitur opinionem sui Magistri in scholis traditam, quem peritum & timoratum virum judicat. Quin etiam in casu, quo quis in re quapiam non potest investigare veritatem, & tamen necessari-

ad operandum resolvere se debet in alterutram partem, poterit in praxi securè sequi opinionem illam, quam meminit, se in aliquo probato & classico Authore legisse, vel à viro docto & probo audiisse, modò non constet evidenter esse falsam vel improbabilem. Ut notat Suarez hic tom. 5. disp. 40. sect. 5. Sanchez, Vasq. Azor. Laym. suprà allegati,

### ASSERTIO. VIII.

**I**nter opiniones diversas & oppositas de eadem re, quarum qualibet est verè probabilis, per se loquendo, & quantum est de honestate actionis, licetè quilibet potest sequi quamlibet; etiam minus probabilem, & minus tutam; etiam contra propriam opinionem probabiliorem vel tutiorem visam; & quidem aliquando etiam debet, praesertim Subditus & Confessarius in judicio sacramentali. Hæc etiam adhuc est communior, & tuta.

#### §. I.

**O**piniones oppositas de eadem re dari nimis notum est: v. g. censum germanicum esse licitum, & non esse licitum. Et quamvis utraque opinio speculativè non possit esse vera, sed altera necessariò falsa sit: sic enim sunt contradictoriæ: potest tamen utraque esse probabilis & vera practice: sic enim non sunt contradictoriæ, contradictoria enim absolutè affirmant, & negant idem de codè: at opiniones probabiles oppositæ affirmant, & negant idem de eodem non absolutè & secundum eandem rationem, sed modaliter, nim:probabiliter

42

D 4

&

& secundum diversam rationem, utpote subdversis motivis rationabilibus proposito. v.g. Causum germanicum esse illicitum, quia usuram impit & agravibus Doctoribus reprobatur: contra non esse illicitum, quia per modum census explicari potest, & agravibus etiam doctoribus probatur. Porrò opiniones illæ oppositæ quandoque sunt æqualiter probabiles & tutæ, quandoque una alterâ probabilior vel tutior, aut minus probabilis, vel minus tuta. Opinio probabilis est, quæ apparet niti rationibus firmioribus, id est rectæ rationi vel legi conformioribus, aut auctoritate graviori: minus probabilis, quæ minoratione vel auctoritate fulcitur. Opinio tutior dicitur, quæ sequentem in operatione magis remvet a peccato, vel peccandi periculo: minus tutæ, quæ magis videtur accedere ad peccatum, vel peccandi periculum. Potestque contingere, quod opinio probabilior sit minus tuta, & tutior minus probabilis. v.g. Si bonâ side possides rem alienam & postea suborto dubio hæsites, an sit alterius probabilior, immo in praxi certa est sententia, potest illam licet retinere, ex illo principio: *In dubio melior est conditio possidentis*; attamen est minus tuta. Econtrà longè tutior est opinio: debete illam restituere, saltem pro rata dubii: sed minus probabilis, cum nullus debeat spoliari professione sua in re dubiâ, donec evincatur. Ratiocinatus: Quia illa sententia est tutior, quæ magis removet a peccato: sed haec posterior sententia debere restitui, sine dubio magis removet a peccato.

cato: testituens enim excludit onine peccatum tam materialiter, quam formaliter, & quidem certitudine omnimodā, & metaphysicā, impossibile enim est restituendo peccare: At verò non restituens secundūm sententiam probabiliorem, excludit peccatum solum formaliter, non materialiter, cum reverā possit esse res alterius; & id quidem solum secundūm certitudinem moralem: ut patet: ergo &c. *Afferimus* itaque, inter opiniones oppositas verè probabiles & tutas *Licitum esse sequi quamlibet*. Ubi pro certis habeto. I. Licitum & laudabile est sequi opinionem & probabiliorem, tutorem v. g. *Censum germanicum esse illicitum*. II. Æquè licitū & laudabile est sequi opinionem tutorem, licet minus probabilem; v. g. *rem dubiè alienam restituendam; commissio peccato mortalitatem confitendum, vel contritionem recipiendam*. III. Licitum æquè omnibus, etsi non ita laudabile sit, sequi opinionem probabiliorem, sed minus tutam, ut in exemplis allatis, *rem dubiam retineri posse, patrato peccato non statim debere confiteri*, &c. IV. Licitum etiam esse debet inter opiniones æquè probabiles & tutas sequi quamlibet, sive quaestio sit de jure, sive de facto, v. g. *Rene inventam, cuius Dominus invincibiliter ignoratur nec compariturus aliquando speratur posse, vel non posse retineri*; Quia rationes utrinque probabiles æquè inclinant intellectum ad assentiendum prudenter uni & alteri parti. Uti contra alios docet Tamburin, cit. l. I. c. 3. §. 3. n. 11. Magis controversa sunt, quæ porrò *afferimus*.

D f

§. II.

## §. II.

**E**tiam minus probabilius, & minus tutam  
g. Censum germanicum esse licitum. Circumstantias aggravantes tantum, non esse contendas. Ita contra *Gerson. Henrig. Anton. Gabriel Major. Cordubam. Armil. Conrad. Sotum*, & alios quos novissimè late citat & sequitur *Candidus Philaleetus lib. de opinionum praxi c. 5.* Docet modus communis Doctorum. *Navarrus in c. Si quis rem. d. 7. De Pænitentia.* *Sanchez. Vasq. Layman* suprà citati. *Tanner. tom. 2. disp. 2. q. 4. dub.* Et quinquaginta duos citans *Pascaligus Decisum Moralium Decis. 5. num. 3. alii apud Franc. Bardi hic discept. 4. c. 10.* Ratio sumitur ex dictis. Quia quilibet potest prudenter sequi opinionem verè probabilem, quæ scil. nixa ratione alicuius momenti vel auctoritate gravi non est aliena à recta ratione: verè tutam, quæ nimis excludit verum peccandi periculum: atqui opinio etiam minus probabilis & minus tuta, est & manet versus probabilis & tuta, nihil obstante, quod alia opinio opposita sit, vel appareat probabilior ac tutior, quia major illa probabilitas & securitas oppositae sententiae non destruit probabilitatem & securitatem, quamvis minorem, opinionis alterius, quemaneat verè probabilis & tuta. Sicut major bona tas unius actus *virginitatis v.g. non destruit minorē bonitatem alterius actus conjugalis*; qui sit & maneat verè bonus & tutus amplectendus ergo, &c. Adde: quod alia opinio appareat probabilior, sape elie apparentium, vel ex subtili-

te vel pompa Doctorum afferentium. Et sèpè, quæ apparent minùs probabilia, sunt magis vera, & contra verum est illud: *Multa falsa sunt probabiliora veris.* Est sanè consilii & perfectionis in actionibus moralibus sequi semper id, quod optimum atque tutissimum videtur, non tamen id est præcepti vel obligationis, sed sufficit sequi, quod est verè bonum & tutum: *Alioquin consilium non differet à præcepto:* & nimis gravis obligatio homini operaturo incumberet. Non ergo hic locum habet illud: *In dubiis tutior pars eligenda.* Et Oportet tenere certū, & dimittere, quod incertum est: Quia licet hic intellectus maneat dubius & incertus speculativè de veritate vel falsitate hujus opinionis, non tamen manet dubius, sed omnino certus est de ejus probabilitate, atque practicè certò se resolvit, licere sic operari conformiter ad opinionem verè probabilem & tutam, etiam si minùs probabilem & tutam, quam ejus opposita.

## §. III.

**E**tiam contra propriam opinionem probabiliorē & tutiorem visam. Adde etiamsi rationem insolubilem pro ea se habere credat; v. g. Vir doctus pro se habet opinionem, quam ex principiis intrinsecis, non tantum probabilem, sed etiam omnino veram judicat, utpote in recitandis Horis requiri devotionem, & attentionem internam: nihilominus in praxi poterit sequi oppositam sententiam, quam ipse non modò minùs probabilem, verùm etiam speculativè falsam arbitratur. *Vasq. Azor. Sanchez. Tanner.* alii citati

Ratio

44

**Ratio est:** Quia cum hoc, quod suam sententiam probabiliorem vel omnino veram, atque oppositam falsam judicet speculativè & ex principiostrinsecis seu rationibus, quæ ipsi apparent insobiles, adhuc stat, quod oppositam sententiam aliorum Auctorum, extrinsecè saltem censeat ve probabilem practicè, & tuto sequendam in proximi, sūasque rationes ab aliis esse solubiles vel solitas, et si ipsi solutio non occurrat. Nec valeat **jectio:** Nullus licet potest agere id, quod probabiliter putat esse illicitum: sed sequens opinione minus probabilem & tutam, præterim conpropriam magis probabilem & tutam, estimat, probabiliter, immo probabilitus putat esse illicitum id, quod agit: Ergo &c. Resp. *distinguuntur Majorem.* Nullus potest agere id, quod putat illicitum practicè: *concedo M.* Quod putat illicitum speculativè tantum, *nego M.* & similiter *distinet à min. consequentiam.* Quamvis enim illis juxta suam sententiam probabiliorem, speculativè judicet oppositum esse illicitum: v. g. iunctariè distrahi in Horis: quia tamen etiam oppositam sententiam censem verè esse probabilem inde practicè certò se resolvit, licitum esse sic operari hic & nunc, & nullo modo illicitum, quod valde notandum est. Unde rectè inferunt Doctores citati, quod vir doctus alteri consilium petenti, consulere possit, non tantum ex propria opinione, quam ipse ut probabilem, & tutiorem tenet, sed etiam ex opposita probabili aliorum sententia. Addit Laym. *cit. 5. §. 2. num. 9.* Etiam si Docto-

Ille oppositam aliorum sententiam omnino improbare vel falsam judicet, eamque ipse in praxi sequi non possit, posse tamen consilium petenti significare, talem opinionem ab aliquibus viris doctis & gravibus defendi, quam proinde ipsi sequi liceat: Cum enim consulens in re dubia jus habeat se conformandi opinioni, quae a viris doctis ut probabilis defenditur, presumendo, quod rationabili fundamento nitantur, non obstante, quod alii contradicant, poterit doctus consultus hoc ipsum jus consulenti significare.

§. IV.

**E**t quandoque etiam debet, seu tenetur quis se-<sup>45</sup> qui opinionem minus probabilem vel minus tutam, etiam contra propriam, &c. ut supra. Ratio est: Quia quilibet tenetur satisfacere suæ obligationi, quando id sine peccato præstare potest: Sed potest contingere, quod quis obligetur satisfacere suo officio non obstante opinione minus probabili & minus tutâ secundum ejus judicium: ergo cum talem opinionem sine peccato sequi possit, ut probatum est, etiam sequi tenetur. M. est certa. Minor constat maxime de Subdito & Confessario.

I. De Subdito.

**S**uperiori præcipienti secundum sententiam <sup>46</sup> verè probabilem ac tutam circa materiam præceptam, vel potestatem præcipiendi, omnino tenetur subditus obedire, etiam contra propriam opinionem speculativè quantumvis probabiliore

ac tutiorem visam, Communis & certa Doctrin  
Corduba *iib. 3. Quæstion. q. 4. Vasq. cit. disp. 61*  
*6. Miranda Man. Prælat. tom. 1. q. 26. a. 5. La*  
*man cit. §. 2. n. 11. ac multis citatis Franc. Ba*  
*hic Discept. 4. 6. 24. Ratio est: quia in materia di*  
*dente sub potestatem Superioris, quidquid subdi*  
*tus licet agere potest, præcipiente Superiore, et*  
*am debet: sed quilibet potest agere secundum sa*  
*tentiam verè probabilem & tutam, etiam con*  
*propriam sententiam probabiliorem ac tutione*  
*æstimatam, ut dictum est: ergo præcipiente S*  
*uperiore, subditus etiam debet: dunitmodi illi*  
*lius sententia etiam appareat probabilis & tu*  
*Cum enim certum sit Superiorum posse præcip*  
*re secundum sententiam sibi visam probabili*  
*adeoque sit in possessione suæ potestatis oblig*  
*di subditum: subditus autem non certò, sed foli*  
*probabilius putet oppositum, v. g. materiam pu*  
*ceptam esse illicitam, aut potestatem Superiorum*  
*se ad hanc materiam non extendere; & certu*  
*per probabile impediri nequeat; subditus non*  
*potest formare judicium practicè probabile, si*  
*dum certum, licere sibi non obedire, sed non ob*  
*stante suâ oppositâ opinione debet formare ju*  
*cium practicum seu conscientiam, quod hic*  
*nunc & possit, & debeat obedire Superiori.*  
*Quanta confusio foret in quolibet regimine,*  
*quilibet posset non obedire Superiori juxta op*  
*nionem suam sibi probabiliorem & tutionem*  
*sati speculativè circa materiam preceptam,*  
*potestem præcipiendi? Secùs est, si subditus*

beret opinionem vel potius conscientiam oppositam probabilem *practice circa ipsam obligacionem*, quā rationabilitētē judicaret se hic & nunc non obligari praecepto Superioris, saltem per modum Epikiae, qualis etiam in legibus divinis, multo magis humanis locum habet: poterit ergo tunc huic suæ opinioni se conformare, & non obediens.

II. De Confessario Judice.

**C**onfessarius in *Judicio sacramentali*, etiam contra propriam opinionem sibi magis probabilem & tutam visam, tenetur se conformare opinioni probabili & tutæ Pœnitentis, quæ scilicet, cum bona fide nititur ratione alicujus momenti, vel authoritate gravi, talēmque opinionem secutum, vel sequi volentem; ut si Pœnitens opinetur probabiliter: *Censum germanicum esse licitum: non requiri internam attentionem in Horis: Circumstantias aggravantes iancūm non esse necessariæ explicandas in confessione, &c.* Etsi Confessarius oppositam sententiam omnino præferat, tamen potest, & tenetur ipsum absolvere. Quod possit, docet communissima contra Adrianum. Quod etiam teneatur, est etiam communis & certa sententia Navarri *Man. c. 26. n. 4: Et c. Si quis autem. d. 7. de pœnit. num. 54. Suan. Sanch. Vasq. aliorum cum Laym. sapc cit. c. 5. §. 2. n. 10. Bardic. discept. 4. cap. 21. n. 5*. Ratio est: *Quia cujuslibet Judicis officium & obligatio est, ferre sententiam secundum allegata & probata ab actoribus & defensoribus: atqui in hoc iudicio sacra-*

sacramentalis solus ipse pœnitens est accusator  
advocatus, & testis, tam pro se, quam contra se  
ergo si pœnitens allegat opinionem verè probabi-  
lem & tutam pro se & operatione suâ, tenet  
se ei conformare, & juxta illam, sententiam fer-  
etiam contra propriam opinionem veriorem  
sam Confessarius, formando judicium practicum  
quod Pœnitentem, oppositam optionem secutum  
tanquam existentem in bona fide ac bono statu  
ac proinde rectè dispositum, eum nefno sequenda  
opinionem verè probabilem peccet, & maxi-  
auditâ jam confessione, & possit, & debeat absolu-  
vere. Ineptè proinde agunt Confessarii illi, q.  
non audentes, contra suam opinionem absolve-  
re, mittunt Pœnitentes ad alium Confessarium  
qui sit ejusdem cum Pœnitente opinionis. Si eni-  
alter poterit absolvere, cur non etiam tu possis  
aut cur tua speculativa persuasio Pœnitenti in  
tam gravi obesse debeat? DICES: Confessarius  
est verus & legitimus superior & judex Pœnitentis,  
illiusque est, de quantitate, qualitate & mo-  
peccati judicare, absolvere, condemnare: sed su-  
ditus contra propriam opinionem tenetur obe-  
re superiori: ergo, &c. Resp. Confessarium n*on*  
esse Pœnitentis Superiorum absolute & simpli-  
ter, sicut aliis Superior Ecclesiasticus vel Civilis  
sed solum limitate & respectivè in ordine ad pa-  
cata ab ipso ad tribunal pœnitentiæ allata, seu quan-  
tenuis ei Pœnitens se submittit in ordine ad ju-  
cium sacramentale, ut de peccatis suis judicet.  
cundum allegata & probata. Pœnitens autem

peccat sequendo opinionem verè probabilem ;  
quæ à Doctoribus probabiliter defenditū : nec  
consequenter tenetur Confessario subjecere opi-  
niones suas probabiles , neque quoad hoc ei Con-  
fessarius tanquam subdito quidquam præcipere  
potest.

III. De Confessario Doctore.

**C**onfessarius verò ut Doctor , Pastor , & Me-48  
dicus spiritualis Pœnitentis in consiliis dan-  
dis de futuro , inter opiniones oppositas probabi-  
les , debet semper illam consulere , quæ utilitati  
spirituali Pœnitentis magis deservit , etiam si con-  
tra suam propriam opinionem . *Ratio ex dictis*  
*pater.* E.g. Videt Confessarius Pœnitentem esse in-  
quietum & anxium in lectione Horarum , verba ,  
verius , Horas , itidem repetere : Item in confessio-  
nibus repeperi dis & multiplicandis , omnibus re-  
censendis & enumerandis , numeris , circumstantiis  
&c. Tali consulere debet opiniones Doctorum  
laxiores , dummodò verè probabiles censeat : *Non*  
*saltem sub mortali , requiri attentionem internā :*  
*Horas non physice , sed moraliter integrè legendas ,*  
*&c. sola mortalia esse confitenda : circumstantias*  
*aggravantes tantum non esse necessariò explican-*  
*das : Quando non certo constat , ut quasi jurare*  
*possit , defectum fuisse in præterita confessione , con-*  
*fessionem non esse repetendam , &c. At contrà : ad-*  
*vertit Confessarius , Pœnitentem ex opinionibus*  
*laxioribus , et si visis probabilibus , sensim decli-*  
*nare in libertates noxias & pericula peccatorum ,*

THEOL. MORAL. PART. I.

E

ce-

tenetur ei inculca e opiniones oppositas strictiores & magis tutas: imò aliquando etiam præcipere. Quia reverè tunc aliæ opiniones laxiores respectu hujus subjecti & ratione periculi imminentis cessant esse practicè probables & tutæ. Ut videat Confessarius, Pœnitentem super lectionem Horarum, vel confessione peccatorum esse huius minem planè incurium, sine omni affectu, emendatione, tenetur ei inculcari, & si opus est videat, præcipere opiniones supra dictis oppositionibus. Similiter etsi forte probabile sit, multum rem, ut placeat viro suo, uti posse profano ornato moderno, & nuditate circa collum & claus, & juxta hanc opinionem confitentem abs vere debeat Confessarius, si tamen is advertat eum ornatum fore causam ruinæ, vel proximum periculum peccati proprii vel alieni in futurum debet consulere, imò & præcipere, ut abstineat tali ornatu & nuditate, unde signanter supra positum fuit

#### IV. Assertionis Limitatio.

49 **P**er se loquendo: hoc est, si aliunde nihil ostet, Licitum est sequi opinionem quamlibet probabilem ex oppositis. Per accidens multa obstat possunt. I. Obstat error proprius. Ut si quod opinione verè quidem in se probabilem, aperte hinc tamen omnino improbabilem & fallam jucundum stat, utique non poterit illam sequi in praxi. II. Obstat periculum peccati per accidens adjunctum opinioni quantumvis de se probabili & honesto.

V.g. Probabilis & vera est opinio, posse te juxta  
morem patriæ fœminas, præterim cognatas,  
osculo excipere: posse Confessarium cum fœmi-  
nis spiritualis instructionis vel consolationis gra-  
tiâ, familiarius conversari ( alia exempla habes  
immediatè num. precedenti ) Quòd tamen ex  
hujusmodi actione experiatur quis se labi, vel gra-  
viter tentari, tenebitur omnino abstinere, et si op-  
nio de se probabilis, & actio secundum se licita sit:  
prævalet hic sententia Sapientis: *Qui amat peri-  
culum, peribit in illo.* III. Obstat possessio alterius  
partis, quæ omnino enervat probabilitatem op-  
positam. Quantumvis enim probabile sit, rem ab  
altero possellam esse tuam, non tamen eam licite  
tibi vendicare, vel occulte compensare potes, quin  
nec judex tibi adjudicare potest, donec tuam esse  
certò evincas. Idque semper verum esse credo, si  
ve quæstio de facto sit, sive de jure. v.g. Sunt ratio-  
nes & opiniones utrinque probabiles, quod lega-  
tum ex testamento minus solemnii sit validum, &  
invalidum: siquidem rem legatam jam bonâ fide  
possides, licite retines; quia juvat te possessio: at ab  
ante rede possidente non vales licite auferre vel oc-  
culte compensare; quia possessio juvat ipsum,  
quamvis oppositum opinentur Card. de Lugo, &  
Sanchez apud Tamburin. in Decal. l. 1.c. 3. §. 3.  
qui tamen non approbat, & meritò: plura  
de hoc audies cap. sequenti. IV. Obstat etiam of-  
ficium vel pactum, ut non possis sequi opinio-  
nem quamlibet probabilem, sed cogaris sequi vel  
minus probabilem, ut de Subdito & Confessario

jam audivisti num. 46. & 47. aut certiore, ut  
Ministro Sacramentorum, Medico, Judice, do-  
bit assertio sequens. Interim occurit hic

Quæstio incidens notabilis.

*An, quando fas est sequi aliquam opinionem  
probabilem in vita, etiam liceat sequi  
articulo mortis?*

**A**ffirmativam docent Joan. Sanch. in Sel-  
disp. 19. num. 8. Cardinal. de Lugo de pa-  
disp. 7. Sect. 13. n. 273. & 275. Antonius à Spir-  
itu Sancto in Directorio Confessiorum. p. 1. n.  
disp. 3. Sect. 8. apud non dissentientes Dian. p. 1.  
13. resol. 9. & Gobat. tr. 1. Clypeii Iudic. Clem.  
Sect. 10. n. 162. Adeò ut neque in articulo mor-  
tis adigendi sint homines ad sequendas sententias  
gistutas, vel magis probables, quamvis sic  
fulendum sit. *Ratio est:* quia opinio. quæ de-  
cato, & salute securam reddit conscientiam  
operandum in vita, tutam quoque reddere de-  
in articulo mortis; cùm in utroque tempore  
æqualiter constringatur homo vitare peccatum  
alioquin sequeretur, quod homines in arti-  
culo mortis deberent confiteri, se per decursum  
citram necessitatem in operando fuisse secutus  
quas Sententias minus probables, vel minis-  
tas, deberentque facere tunc restitutions, solu-  
tiones, & ultimas voluntates ex norma tutiorum  
probabiliorum sententiarum tantum, quo  
contra omnem praxim, & usum, & Pœnitenti-  
& Confessiorum. Quare Antonius à Spir-

loc⁹ cit. securum reddit Pœnitentem in articulo mortis, qui cum sola attritione cognitā suscipit Sacramentum Pœnitentæ.

Contrariam tamen negativam sine dubio magis piè, & tutè cum aliis docet Sanch. l. 2. Moral. c. 1. n. 6. Nam eo articulo mortis, & aditu æternitatis omnino Charitas DEI, & sui ipsius exigere videtur, ambulare viā, quoad potest, securiori. Idque maximè si agatur de necessariis ad salutem necessitate medii, v.g. de dolore requisito ad absolutionem validam: quia, licet opinionis probabilitas excusat de peccato formaliter, non tamen supplet necessaria necessitate medii. Quare placet judicium Gobati ibid. num. 164. esse Confessariis omnibus modis suadendum Pœnitentibus, ut in eo articulo sequantur tutiorem ex opinionibus contrariis, saltem necessariis necessitate medii. Quòd si tamen Confessarius Pœnitenti etiam moribundo nullâ ratione, vel obtestatione persuadere possit, usum opinionis practicè tutioris, aut etiam probabilioris, ei non neget absolutionem, siquidem DD. tam communiter asserentes Confessarium debere sequi opinionem Pœnitentis verè probabilem, non excludunt, vel excipiunt articulum mortis.

### ASSERTIO IX.

**Q**uando habetur & practicari potest sententia certa, vel probabilior practicè, nunquam licet sequi opinionē speculativè tantum, vel minus probabile quoties agitur non de sola honestate adi-

E 3

nis

nis respectu operantis, sed etiam de valore vel efficacia actionis ad aliquem effectum dubium a periculo peccati vel gravis mali, idque salutis pacti alicujus impliciti tali officio vel exercitii nesi. Hanc nullibi sic legi: collegi tamen ex communis doctrina apud Layman. Marchant. Bar Tamburin. hic,

## EXPLICATIO.

**R**atio generalis est; quia quotiens adest & practicari potest in casu assertio[n]is sententia certa vel probabili[or] practicè, opposita opinio practicè nec probabilis, nec tuta censeri debet, simpliciter improbabili[er] & periculo[sa] atque voluntarie relinquens sententiam certam & tunc nullaque urgente necessitate, sequens opinionem practicè incertam ac periculosam, convincitur voluntarie exponere periculo peccati, & consequenter actu peccare; ergo, &c. Ubi nota differentiam hujus & præcedentis assertionis. Quia ipsa honestas actionis pendet directè à prudicitate dictamine rectæ rationis, rectè & licite sequitur quamcunque opinionem verè probabilem & tam, non obstante, quod sit minus probabilis tuta, quam alia opposita, si nil aliud obstat, jn. præc. 49. annot. At vero valor vel efficacia a respectu sui effectus, non pendet directè & principali[er] à dictamine nostræ rationis, sed alius ex propriis principiis, v.g. valor Sacramentorum ad causandam gratiam, ab institutione Confessionis per Ecclesiam traditam: efficacia medicina-

conferendam sanitatem, ex natura & qualitate rei applicatae: æquitas judicij, ex merito cœliæ, &c. dependet: atque ad ejusmodi actus valide & cū effectu exercendos accedit distincta obligatio, Religionis, Charitatis, imò & justitiæ ex vi pacti saltē impliciti in tali officio vel exercitio suppositi: utrū mox per exempla explicabimus: & ideo in ejusmodi exercendis actibus, non sufficit sequi quodcunque judicium rationis nostræ, quomodo libet probabile visum, sed oportet sequi judicium vel opinionem, quoad fieri potest, certiorem vel securiorem, ac certius excludentem periculum nullitatis cum peccato vel gravi damno proximi.

Antequam ad particularia descendamus, ob-  
serva: opiniones aliæ dicuntur tantum speculativè  
probabiles, quæs nim: opinamur de re operabili  
secundum se, abstrahendo à circumstantiis qui-  
busvis particularibus, atque sine immediato or-  
dine ad operandum. Nim: generatim aliquid  
posse vel non posse esse, &c. Aliæ opiniones sunt  
probabiles practicè, quæs scil. probabiliter & cum  
sufficienti motivo opinamur de re operabili, cum  
immediato ordine ad operandum: utpote aliquid  
hic & nunc, in his circumstantiis licere vel non li-  
cere. Et possunt de eâdem re esse opiniones proba-  
biles speculativè, quæ tamen minimè sunt proba-  
biles practicè, ut supponunt DD. communiter,  
& ratio clara est. Potest enim intellectus noster  
considerare objectum operabile secundum se  
præscindendo à circumstantiis, & sic judicare,  
esse licitum, vel rationi consentaneum: potest-

que illud rursus considerare ut hic immedia  
operabile in his circumstantiis & ob hanc,  
illam circumstantiam judicare rationi dissen-  
tivum, seu illicitum: ergo prius judicium opini-  
tive fuit probabile tantum speculativè, non po-  
cticè. Ex.g. Probabile est speculativè, dari maten-  
parvitatem circa castitatem, quoad aliquos al-  
etus vel tactus impudicos, minime tamen est pro-  
babile practice, imò certum: esse peccatum mo-  
tale, saltem indirectè voluntarium, ob gravissim  
& proximum periculum in materia tam picea.  
Item esto probabile appareat venatori id, quod  
det ibi, esse feram, inde tamen non fit probabile  
practice, quod possit ejaculari in illud, ob penali-  
um homicidii. Item sit probabile mulieri, viri  
in bello esse occisum: inde tamen non fit probabile  
practice, posse nubere alteri, quia adhuc pa-  
sifet prius Matrimonium, &c. Idem videbis en-  
nire in sequentibus.

## §. I.

## De Ministro Sacramentorum.

**M**inister Sacramentorum, quoad essentia  
lia, si fieri potest, tenetur semper senti-  
tiam certam vel tutiorem sequi. *Ita generalis*  
*communis DD.* Indicat D. Augustinus lib. I.  
*Baptismo*, contra Donatum dicens: *Gravissi-  
quis peccaret in rebus ad salutem anime perti-  
tibus, eo solo, quod certis incerta preponeret.*  
aperte docet Scotus in 4. d. 3. q. 2. num. 10.  
circa materiam & formam Sacramentorum.

tres regulas præscibit. Si possibilitas adest, via tutissima est eligenda, Si non adest possibilitas, via tutissima proxima est tenenda, Cessante impossibilitate, cautè supplendum est, quod impossibilitas prohibebat. Hæc Scotus. Exemplum ab omnibus affertur de Baptismo. Sententia certa & tutissima est ex institutione & ulu ac ordinatione Ecclesiæ ad valide administrandum Baptismum, requiri hanc materiam, scilicet *"quam naturalem"*: & hanc formam: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filiis, & Spiritus Sancti.* Nihilominus opiniones etiam Speculativæ probables sunt: etiam confici posse in aqua rosacea, cerevisia, lixivio, carnis prolio, &c. probabile enim est, hæc esse substantialiter aquam: aut in hac forma: *Ego te baptizo in nomine Genitoris & Geniti & Spirati*; quia videtur æquipollere formæ priori. Attamen quia hæc opiniones sunt mere speculativæ nihil adhuc dictantes de operando hic & nunc: dicimus

1. *Tenetur sequi sententiam certam, &c.* Adeò 54 ut qui habitâ aquâ naturali, & cognitâ debitâ formâ, baptizaret in aqua rosacea, vel cum illa alia forma, peccaret mortaliter, gravissime, & multipliciter. 1. *Contra Canonem & ordinationem Ecclesiæ, in re tam gravi sine dubio graviter obligantem, contra quam nulla opinio potest esse practice probabilis, ut omnes fatentur.* 2. *Contra Charitatem, proximum sine ratione exponendo tanto periculo salutis spiritualis.* Communis DD. cum Sanch. lib. I. c. 9. n. 33. 3. *Contra Justitiam, lattem si sit Minister ex officio obligatus suis admissa-*

nistrare Sacra menta, utique ex vi pacti officio annexi, certa, & non dubia. 4. Etiam per se & contra virtutem Religionis, uti contra Sanchez, Vasq. & alios. verius docent cum aliis Suarez, p. tom. 3. disp. 21. sect. 4. Filiuc. Tract. 21. Layman. cit. c. 5. §. 3. Bardi Discept. 4. cap. Ratio est: Quia omnino irrationabile videatur & virtuti Religionis directè repugnans, abs ulla causa necessitatis vel utilitatis, Sacramentum à Christo institutum ad salutem animarum expnere periculo nullitatis, seu ut invalidè, & sine effectu significato, falso administretur: Sed hoc ret in proposito, ut patet: ergo, &c. Excipit tamen Perez, & Joann. Sanch. apud Dian. cit. 2. tr. 13. resol. 2. casum, quo Ministro quis minitetur mortem, aut aliud grave damnum, nisi res sententiâ certâ, juxta probabilem tantum conciat Sacramentum, v.g. Baptismi, in aqua rofasc dummodo in contemptum Sacramenti vel Religionis mortem non minitaretur.

II. Si fieri potest, Semper enim supponimus Quando practicari potest sententia certa. Quia ejus usus est in nostra potestate. Nisi necces aliquid urgeat: quando verò sententia certa practicari nequit, & necessitas urget, utique recurredum erit ad opiniones faltem speculative probables, & tentandum, quantum prudenter tenti potest. Sic in casu extremæ necessitatis, si aliud nihil occurrat, nisi lixivium, cerevisia, &c. ad bap zandum, formando conscientiam ita licere, po debes ea adhibere baptizando puerum potissimum

materia incerta cum periculo nullitatis Sacra-  
menti, quām puerum sine Baptismo relinquere  
certae damnationi. Similiter si nullus occurrat,  
qui formam sciat, nisi Vetula balbutiens, potest &  
debet, quam potest, formam proferre: nec talis  
Baptismus, nisi sub conditione repetendus erit.  
Eādem ratione dijudicandum erit, qualiter mori-  
bundus præfente Parocho, contra certam senten-  
tiam, possit confiteri simplici Sacerdoti: si nimi-  
rūm aliquid obstat ex parte Parochi, ut si videatur  
imprudens, indactus, vel aliā de causā ei confiteri  
horreat Pœnitens, &c.

III. Quoad essentia, scil. dependentia ab ipsa institutione Christi, Nam quoad jurisdictionem, vel aliud quid simile dependens à voluntate Ecclesiæ, licet quis potest sequi opinionem verè probabilem, et si minus certam. Ut si habens opinionem probabilem, quod vi privilegii tui vel concessionis factæ à Papa vel Episcopo, possis absolvere à tali casu, vel censura: assistere tali matrimonio, potes absolvere vel assistere sine necessitate admonendi proximum de opinione contraria probabiliore. Quia quoties est probabilis opinio de similibus dependentibus ab Ecclesiæ potestate, ipsa ex consensu tacito & de præsenti ratihabitio-  
ne supplet seu confert jurisdictionem certam: ut fusè docent DD. præsertim Sanchez l. 3. de Matrim. disp. 22. num. 65. & l. 1. in Decal. c. 9. n. 35, Suarez, Lessius, alii apud Tamburin. sup. cit. e. 3. §. 4. n. 2.

IV. Minister tenetur, &c. Pœnitens verò in usu

usu passivo Sacramenti , quoad requisita ex parte  
suâ potest sequi opinionem minus probabilem  
& tutam : v. g. potest accedere cum attritione  
cognitâ , cùm tamen probabilius , longè tun-  
ctius sit , requiri contritionem , saltem aestimatam : ita  
potest omittere omnes circumstantias aggravan-  
tes tantum , ut jam concessimus suprà num. 4  
cùm tamen haud dubie longè probabilius & tu-  
ctius sit , aliquas circumstantias aggravantes tu-  
ctum necessariò esse explicandas ( uti hujus tra-  
ct. 3. sezt. 4. ex communiori sententia docebimus )  
ad validam confessionem & absolutionem . Rat-  
disparitatis est : Quia Minister in administratione  
Sacramenti , quoad essentialia requisita ex par-  
te suâ , scil. materiam , formam , & intentionem , no-  
lam habet difficultatem practicandi sententiam  
certam , vel tutiorem , ut supponit resolutio nostri  
consequenter ad id rectè obligari potest etiam  
ex virtute Religionis ob reverentiam Sacramenti  
ut dictum est , num. 53. At verò Pœnitens quod  
requisita ex parte sua , dolorem , confessionem , &  
maximam potest habere difficultatem , sequen-  
tem semper certius & tutius , ad quod proinde no-  
natur potest rationabiliter obligari : Neque ex virtu-  
te Religionis ob reverentiam Sacramenti : hæc eni-  
m non potest obligare cum tanto gravamine , junc-  
tum periculo deficiendi contra reverentiam Sacra-  
menti ; neque ex virtute Charitatis vel Justitiae  
patet : multò minus ex ordinatione Ecclesiæ p-  
atris Matris . Quinimò Concilium Tridentinum in-  
tuens ad Sacramentum Pœnitentiæ requiri Contra-  
tionem

tionem, vel saltem attritionem: & peccata in spe-  
cie & numero necessariò esse confitenda, mora-  
liter & practicè certam reddit sententiam, quòd  
sufficiat attrito cognita, & valde probabilem de-  
circumstantiis aggravantibus tantum non necel-  
fariò confitendis.

§. II.

De Medico, Chyrurgo.

**M**edicus & Chyrurgus in medicinis appli-<sup>58</sup>  
candis tenentur sub mortali sequi senten-  
tias certas & securas, relictis incertis & dubiis:  
*secundum omnes*: & quòd si certa curatio non oc-  
currat, tenentur sectari opinionem probabilior-  
rem, post habitis minus probabilibus; uti contra  
Azorium & alios nonnullos, docent communiter  
Doctores cum Navarro *Man. c. 25. n. 61.* San-  
chez *l. 1. Moral. c. 9 num. 40.* Vasq. Bonacini.  
Laym aliò apud Bard. *cir. c. 30.* Ratio est: Quia  
ultra obligationem generalem Charitatis, quâ te-  
nemur meliori seu efficaciōri modo, quo possu-  
mus, auxilium ferre proximo graviter indigenti;  
hic etiam accedit obligatio justitiae: cum enim  
ager vel læsus committit se curandum Medicus  
vel Chyrugo, & hic illius curam suscipit, inter-  
cedit inter eos pactum, saltem implicitum & vir-  
tualiter, de adhibendis remediis, quae magis saluti-  
fera videntur, & hic & nunc præ manibus haberí  
possunt; ergo Medicus vel Chyrurgus peccat con-  
tra pactum, adeoque etiam contra justitiam, si  
omisso medio certo & seguro, vel probabiliori,

&

& securiori adhibeat medium minus probabile  
incertum vel periculosum, cum sic periculos  
agatur de salute corporali proximi: gravissima  
autem peccant, si solum experiendi gratia, incert  
& inexplicata medicamenta infirmis adhibeantur  
& ut quidam ait: *experimenta per mortes qua  
rant.* ut notat Layman. hic §. 3. n. 15.

59 Quando ergo praestò est medicina parabilis  
quam constat, vel probabile est, posse mederi o  
tra periculum mortis inferendæ, vel acceleranda. Qu  
occurrat autem & alia medicina, quam profun  
dam non ita probabile est: aut quamvis probabile  
sit posse mederi, non tamen sine periculo, ne  
mortifera, tenetur Medicus adhibere priorem  
medicinam tutam vel tutiorem ob rationem di  
stam. Quodsi vero ægrotus extremè laboret, u  
certum, vel verosimillimum sit esse moriturum  
nisi aliquo remedio adjuvetur, & nihil aliud o  
currat, poterit Medicus adhibere quodcumque re  
medium, et si minus securum vel dubium, ne  
mortem acceleret: dummodò certò non constet  
esse mortiferum, & probabilitas juvandi super  
periculum nocendi, atque ipsius infirmi, vel con  
sanguineorum consensus accedat: Quia cum ei  
una parte vita infirmi jam desperata sit: ex alteri  
autem parte aliqua spes sit vel probabilitas reme  
dii: & adsit consensus aliquis in periculum illud  
accelerandæ mortis, prudenter & sine injuria age  
Medicus adhibendo ejusmodi medium dubium leg  
& periculosum. Sanchez, Vasq. Laym. cit. Con  
muniſſ.

§. II

§. III.

De Judice.

Judex in ferenda sententia inter partes litigan-<sup>60</sup>tes, in causis civilibus tenetur sequi opinionem probabiliorem, jurique conformiorem, inspectis allegationibus & probationibus, sive quæstio sit de jure, sive de facto. Sylvest. Sotus. Valsq. Tanner. alii cum Sanchez *cit. c. 9. num. 47*. Layman. n. 16. Bardi c. 27. Tamburin. *cit. c. 3. §. 4.* Ratio est: Quia Judicis à Republica instituti officium, adeo-que ex pacto tacito inito cum Republica obliga-  
tio est, ferre sententiam secundum merita causæ,  
& rectam rationem: atqui rectâ ratione per se  
constat, quod ea pars litigantium, quæ causam  
suam in judicio, sive de jure, sive de facto, proba-  
biliorem ostendit, secundum leges & rationes ma-  
gis mereatur sententiam pro se, quam contra se:  
ergo Judex in ferenda sententia semper debet fer-  
qui opinionem probabiliorem, in favorem scili-  
cet illius partis, pro qua stat opinio probabilior.  
*Confirmatur.* Alioquin sequerentur maxima in-  
commoda in Republica. Facilè enim Judex, affe-  
ctu erga unam partem obnubilante intellectum,  
judicaret probabilem esse opinionem ex parte  
amicorum, cum revera non esset. Et latâ sententiâ, qui-  
libet se partem probabilem secutum fuisse facilè  
prætendere posset: Quod utinam non fieret! sed  
gravissimo peccato, non tantum contra justitiam  
legalem, sed etiam contra justitiam commutati-  
vam: cum à Republica instituti Judges ad jus  
dicendum, & cuilibet æqualiter tribuendum,  
quod

quod suum est, ipsi iniquissimè lèdant jus alterus, scil. partis causam probabiliorem, & eo ipso plus juris habentis.

¶ Quòd si utriusque partis litigantis causa, unde jure, quam de facto, æquè probabilis sit: *Vlentia, Sayrus & alii*, volunt in Judicis arbitrio possumus esse, judicare causam, cui parti maluerunt sicut in arbitrio Collatoris beneficii est, quando concurrunt duo æquè digni. Verum mihi omnino vera videtur opposita sententia, non esse in Judicis arbitrio totam causam adjudicare cui parti maluerit, sed debere concordare partes per transactionem, utpote dividendo rem controvèram inter partes in re, vel in pretio &c. *Sanchez Layman, Bardt, Tamburini, supra, alii apud ipsa* Ratio est: Quia, juxta juris regulam in iudicio non est habenda acceptio personarum: quis autem videat, esse verissimam acceptiōē personarum, & ab æquitate alienissimum, quando duae partes æquale jus habent, & æquè probabilitatem probant, Judicem justitiae Ministrum, uniuersitatem adjudicare, & alteri totum abjudicare? ergo, &c. Confirmatur hoc ex propositione 26. inter damnatas ab Alexandro VII. *Quando litigantes pro se habent opiniones aquæ probabiles, potest Index pecuniam accipere pro ferenda sententia favorem unius præ alio.* Atqui si tunc liberum esset Judicii adjudicare causam, cui parti maluerint non videretur esse ratio, cur non possit acceptio pecuniam pro eo favore exhibito uni præ altero ex justitia non debito: et si enim Judex

justitia teneatur ferre sententiam justam, atq; pro ea ferenda tanquam pro re aliàs debitâ nihil accipere possit, certè tamen eo casu ex justitia non teneretur sententiam ferre pro uno potius, quàm pro altero: ergo relinqueretur locus favori indebito: cur ergo pro eo favore nihil accipere posset Judex? ergo supponit Pontifex id non esse licitum. Dixi: *si causa utrinque tam de jure, quàm de facto àquè probabilis sit.*: Excipiendū enim semper est: *nisi altera pars litigans esset in possessione bone fidei.* Quia possessio pro possidente facit rationes præponderare, adeò ut non amplius maneat rationes utrinque àquè probables, sed melior evadat conditio possidentis. Dixi rursus: *in causis civilibus:* Nam in causis criminalibus, quando agitur de pœna infligenda, & maximè capitali, inter oppositas opiniones probables, semper sequenda est opinio favorabilis Reo, etiam si alioquin minus probabilis videatur, juxta Regulam Juris Canon. II. in 6. *Quando jura partium non sunt clara, sed obscura, declirandum est in favorem Rei:* Et etiam Leges civiles præcipiunt, ut in peenis accipiatur benignior interpretatio: testanturque, jura esse promptiora ad absolvendum, quàm ad condemnandum. Denique etiam excipiendæ sunt causæ favorabiles, causæ piæ, & maximè Religionem concernentes, juxta L. *Sunt persona ff. de Relig. & sumpt. fun. Summa est ratio, quæ pro Religione facit.* Ut bene observat Gobat. tr. I. Clypeii Clement. Judic. Sect. 14. num. 211.

THEOL. MORAL. PARS I.

F

§. IV.

## De Consiliario &amp; Advocate.

**C**onsiliarii etiam in consiliis dandis tenent sequi, quantum fieri potest, sententias certas vel probabiliiores. Ex communiori Vasq. opus. c. 2. Lay. Restitut. c. 6. §. 3. Fran. Bardi discept. 4. c. 2. alii. Ratio est: Quia Consiliarii in consiliis publicis de necessitatibus Principis, vel Reipublice, v.g. dum consultatur de tributo aliquo imponendo, sitne verâ necessitate justum, nec ne, habent per modum Judicium inter principem vel Republicam, & subditos tanquam partes litigantes ut consultivum judicium ferant: ergo sicut Juges inter partes litigantes, ita & Consiliarii inter Principem & subditos, tenentur sequi sententiam certam, vel probabiliorum, in favorem scilicet illius partis, pro qua stat opinio probabilior: & greater peccant contra justitiam, si ex affectu vel spectu humano, juxta sententiam minus probabilem consulantur in favorem unius, vel alterius partis. Ratio omnino eadem, quæ de Judicibus incommoda è contrario secutura multo major ut consideranti patet. Cæterum in consiliis causa negotia externa Consiliarii jam non habent per modum Judicium, sed merè Consultorum ideoque Advocatorum conditionem suscipiunt.

**3** Advocatus autem in patrocinando partem non tenetur eligere partem seu causam probabilem, sed licet suscipit defendendam causam minùs probabilem vel dubiam, dummodo manifeste iniquam, sed probabilem judicet.

causam adversariam probabiliorem, & facilius obtinendam arbitretur. Communis DD. Navarr. c. 25. num. 28. Sanchez. l. I. Mor. c. 9. num. 51. Laym. cit. c. 5: §. 3. n. 17. Bard. c. 29. alii apud ipsos. Ratio est: Quia quandocunque causa dubia vel controversa est, cuivis permittitur tueri seipsum, suamque partem, quamdiu potest, etsi causa sua minus sit probabilis, dummodo vere probabilis, & non manifeste iniqua appareat: & consequenter etiam permittitur ei litem cum adversario contestari; atque propositis iuribus ac rationibus suis, Judicis dirimentis sententiam postulare: atqui juxta regulam Juris 68. in 6. *Potest quis per alium facere, quod potest facere per se ipsum:* ergo etiam Advocato licet defendendam suscipere partis litigantis causam etiam minus probabilem & dubiam; dummodo manifeste iniqua non appareat, sed diligenter inspecta ac comperta causa sibi propositae aequitate, Clienti sincerè appearat, quantam probabilitatem seu spem victoriae habeat: paratus quamprimum absistere, si in progressu litis iniquitatem manifeste deprehenderit: quo casu, si citra suam culpam causâ cadat, salariū nihilominus jure merebitur. *Ex communi DD.* Vide Laym. *l. cit.*

Neque quoad hoc eadem est ratio de Judice & <sup>64</sup>Advocato: Quia Advocati officium non consistit in definienda vel decidenda controversia, vel jure dicendo: sed ejus officii solummodo est unius Parti litiganti assistere, & Judici præsentare jura & rationes pro sua parte, ut iis inspectis, postea Judex

videat, quid decernendum sit secundum jura.  
 solet contingere, quod rationes, probationes, alle-  
 gationes, quæ à principio Advocato videbantur  
 minus efficaces, quam adversariæ, à Judice melius  
 ponderante illas, existimantur validiores, & sic,  
 dicitur, inter litigandum jus crescat. Unde neque  
 Advocatus intendit judicem inducere ad peccatum,  
 ut nimis in justè judicet secundum op-  
 nionem minus probabilem, sed solum intendit  
 representare jura, & rationes suæ partis, ut in  
 Judex absolutè judicium justum ferat. Videtur  
 men eadem de Judice & Advocato ratio, quo  
 causam sanguinis, ut scil. Advocatus non potest  
 ex opinione minus probabili agere contra Reu-  
 de vita vel honore, quando rationes pro ipso hu-  
 magis probabiles. Quidquid enim sit de justitia  
 videtur omnino esse contra charitatem, proxini  
 enim periclitanti, de vita maximè debemus ope-  
 ferre, quantum possumus. Sotus. *de Justitia l. l.*  
 8. art. 3. alii. Contrarium tamen docent *Sant* 74. *I*  
*cit. e. 9. num. 53.* pluribusque allegatis *Turrian* 75. *I*  
*Lorca apud Dianam cit. p. 2. tr. 13. resol. 4.* 76. *I*  
 probabiliorem & in praxi tutam censet senten-  
 tiā. *Ratio est:* (inquit) Quia si cliens in he-  
 casu potest justè litigare: ergo & Advocatus illa 77. *E*  
 causam potest patrocinari, cum non imprudente-  
 agat, utpote quia ratione probabili ducitur. De-  
 cendū igitur sine trepidatione, posse Advocatus 78. *R*  
 secundum opinionem probabilem patrocinare 79. *R*  
 causæ actoris, etiam in causa sanguinis, aut ho-  
 noris, vel de causa civili maximi momenti: 80. *R*  
 81. *E*  
 82. *E*  
 83. *R*

de omnium bonorum possessione &c. Sic Diana.  
Cui ego, quantum est ex justitia, omnino acquies-  
cere cogor: at certe non quantum est ex charita-  
te, in causa sanguinis.

## SECTIO IV.

### De Conscientia Dubia.

#### SUMMARIUM.

65. Dubium negativum, & positivum, ex parte alius, & ex parte motivi.
66. Dubium speculativum & practicum.
67. Dubium juris & dubium facti.
68. Conscientia intrinsecè & extrinsecè dubia.
69. Cum conscientia formaliter & extrinsecè dubia non licet operari.
70. In dubiis tunc pars est eligenda: quomodo hoc intel- ligendum?
71. In dubio practice pratico, semper eligenda est pars tuncior.
72. Non verò in dubiis speculativis.
73. Cum conscientia extrinsecè, objectivè, & speculativè tantum dubia practice tamen certa, & resoluta licita operamur.
74. Resolutio practica fieri debet cum ratione.
75. In dubio melior est conditio possidentis, non tantum in materia justitiae, sed & aliarum legum, ac virtutum.
76. Possessio amen adjuvans in dubio sit bona fide cepta Exemplum in materia Justitiae.
77. Exemplum aliud in materia Matrimonii.
78. In dubio non presumitur factum, sed demonstrari debet.
79. Regula generalis: quod certum, vel prius est, possidet, & presumitur.
80. Regula 1. specialis: si lex sit dubia, voluntas possidet: secūs, si lex sic certa.
81. Exempla prima partis.
82. Exempla secunda partis.
83. Regula 2. specialis: in dubio facti fundantis legem, ha- mo

- mo possedit: è contra in dubio facti supponit  
gem.
84. Exempla prima partis.
  85. Exempla secunde partis.
  86. Regula 3 specialis: in dubio circa tempus inchoationis homo possidet: lex vero in dubio, tempus finis adi obligationem.
  87. Exempla mixta utriusque partis.
  88. Regula 4. in dubio de modo obligationis contractus vel solutionis facta presume, quod tibi faciet.
  89. Exempla obligationis contractae.
  90. Exempla solutionis facta.
  91. Dubia miscellanea.
  92. Peccatum dubium.
  93. Maledictum dubium.
  94. Bellum dubium.
  95. Subditus dubitans.
  96. Quo ad leges penales, etiam censurarum, & irregulatum, tam in dubio juris, quam facti, nemo censetur ligatus.
  97. Declaratur exemplis.
  98. Excepta tamen sola irregularitate ex delicto hominis voluntarii, ubi dubius reus habendus est irregulariter.
  99. Quandocunque constat de corpore delicti, seu homini facti, & aliqua sua cooperatione.

## ASSERTIO X.

**C**onscientia dubia dicitur, quando intellectus de re agenda vel non agenda, suspensus nens, nequit se in unam vel alteram partem solvere. Unde propriè non est conscientia, sed res privatio conscientia suspensio omne jactum, assensum, vel dissensum. Assertio certa cum petit, ut fiat Dubiorum variorum breviter clara.

EXPLICATIO.

I. Dubium negativum & positivum.

Dubium dicitur Suspensio mentis inter duo<sup>65</sup> contradictoria, ut in neutram partem nec assentiendo, nec dissentiendo se resolvere possit. Aliud dicitur negativum, aliud positivum, dupli ratione, ex parte actus, & ex parte motivi.

*Ex parte actus.* Dubium negativum, seu, ut vocant, in actu exercito est, dum quis apprehensa utrâque parte. v.g. an aliquid licet, vel non licet neutri parti assentiens, absque ullo actu positivo, suspensus manet. Dubium positivum, seu ut vocant, in actu signato est, dum quis apprehensa utrâque parte, neutri volens vel potens assentiri, vel dissentiri, actu aliquo positivo indicat, ac veluti significat, rem esse dubiam vel incertam de veritate vel falsitate. Inproposito perinde est: at in materia fidei multum interest. Nam si negativè solùm dubites in materia fidei per se non peccas: at si positivè dubites, & peccas, & accedente pertinacia, hærecius es.

*Ex parte motivi.* Dubium negativum dicitur, quo intellectus (utrovis modo prædicto) suspensus manet inter utramque partem, ex eo, quod nullum omnino occurrat motivum vel medium, nulla ratio sive assentiendi, sive dissentendi, sed intellectus merè ignoranter se habet. v.g. An homines in hac civitate sint pares, vel impares. Dubium positivum dicitur, quo intellectus suspensus manet inter utramque partem ex eo,

F 4                    quod

quod occurrant motiva seu media omnino æquilia pro una & pro altera parte , & sic dum ambae partes, velut trahentes ad se intellectum, se mutuè impediunt , manet ipse intellectus velut suspenso in æqui librio, quo usque occurrat potior ratio una, quam pro altera parte, aut voluntas suo libere imperio intellectum ad uni potius , quam alteri parti assentiendum determinet , vel inclinet.

*II. Dubium speculativum & practicum.*

**66** **D**ubium mere speculativum est, quo dubitatur præcisè de veritate aliqua : v. g. mundus potuerit esse ab eterno : *An si Adam peccasset, nihilominus Verbum incarnatum fuisse.* &c. Dubium practicum est, quo dubitatur de re operabili. Et hoc , aliud dicitur speculativum practicum , quo dubitatur de re operabili, ipsâ operatione , ejusve honestate , secundum abstracto , abstrahendo scilicet à circumstantiis particularibus, & sine immediato ordine ad operationem seu praxin. Ut : *an matrimonium contractum sit validum : an census germanicus licitus : an die festo liceat bellare, pingere, agere : an die jejunii liceat sumere collationem spartinam.* &c. Aliud dicitur dubium propriè practicè practicum , quo dubitatur de actione ejusve honestate in particulari , seu hic & nunc ercentiae in suis circumstantiis particularibus. *An debeam hanc confessionem repetere, an hinc nunc liceat mihi pugnare, ludere, comedere,* que in hoc dubio formaliter consistit conscientia dubia.

III. D

## III. Dubium Juris, &amp; dubium Facti.

**D**Ubium *Juris* dicitur, quo dubitatur de aliquo jure, lege, præcepto, statuto; &c. præ-supposito ad honestatem actionis exercendæ. Ut *an sit lata talis lex, quomodo obliget, an hunc etiam, vel illum casum comprehendat, an hic & nunc me in his etiam circumstantiis obliget, &c.* Idque rursus dividunt in speculativum, & practicum. Dubium *juris* speculativum vocant, quo dubitatur, non immediatè de honestate actionis alicujus, sed de aliquo alio legitimo secundum jura & leges. Ut: *an Baptismus collatus in nomine Christi sit validus; an matrimonium contractum sit validum; an bellum, in quo milito, sit justum; an quis in talibus sit irregularis, v.g. si percussit Clericum non vestimentem habitum: avres, quam possideo meas, in aliena, &c.* Dubium *juris* practicum dicitur, quo dubitatur de obligatione, vel facultate legitime agendi, seu de ipsa honestate actionis, *an licitum, nec ne.* Et hoc rursus aliud est generale & abstractum, id ipsum, quod *num. præced.* diximus *speculativè practicum:* aliud est particulare seu de *hic & nunc;* & est ipsum supradictum dubium propriè seu practicè practicum. Dubium *Facti* denique dicitur, quo dubitatur de aliquo facto, ejusve conditione aliqua spectante ad honestatem actionis exercendæ. Ut: *an votum emissum sit an fulatum; an Horæ recitate; an peccatum commissum sit mortale vel veniale; an jam confessum, nec ne, &c.*

§. IV. Conscientia intrinsecè, & extrinsecè dubia.

68

Conscientia dubia proprièdīta, nimirum formaliter & intrinsecè dubia, consistit in ipso *dubio practice pratico*, seu *dubio juris particulari*, quando nimirūm intellectus de honestate actionis hic & nunc exercendæ, an scil. honesta sit, vel licita, nec ne, omnino manet suspensus & in neutram partem se resolvit. Conscientia objectivè seu extrinsecè dubia ( posses dicere conscientiam dubiam speculativè, nisi nomen conscientiae quid practicum sonans repugnaret ) dicitur, quando intellectus solum de ipso objecto secundum se manet dubius dubio scil. speculatorum juris vel facti, non verò de ipsa honestate actionis hic & nunc, dubio pratico. v.g. *dubitas/peculatior*, an res, quam possides, sit tua, *practicè* verò, restituere tenaris: facta diligentii inquisitione, non inventa ullâ ratione posteriori pro una, quam pro altera parte, sed perseverante dubio, an res sit tua nec ne: denique ex illo principio: *In dubio melius est conditio possidentis*; resolvit te: non debet restituere, posse licet retinere, usurpare, &c. Conscientia hæc manet dubia objectivè & extrinsecè stante scil. adhuc dubio speculativo, an res revera tua sit: at formaliter & intrinsecè non est dubius sed resoluta: excluso scil. dubio pratico. Javidendum est, quomodo cum ejusmodi conscientiis dubiis liceat operari. Difficilia, mihi Lectio difficilis! animum bene advertas necesse est.

ASSEN

## ASSESTITO XI.

**C**um conscientia formaliter & in trinsecè dubia, stante scilicet dubio practicè pratico seu dubio juris particulari de honestate actionis hic & nunc exercenda, vel periculo peccati annexo, nunquam licet operari, sed semper peccatur pro ratione materie, & dubii. Est certissima apud omnes, Significat Apostolus Rom. 14. *Quod non est ex fide, peccatum est.* Hoc est. Quod non sit ex certa credulitate seu determinato iudicio intellectus, licitum esse, quod hic & nunc agitur, peccatum est.

## §. I.

**R**atio fundamentalis est: Quia omnis sciens, & volens, exponens se periculo peccati, peccat, & quidem eodem genere peccati, cuius periculo se exponit; ut doceat communissima Doctorum cum D. Thoma, *Quodl. 8. a. 13.* Scoto, in 3. d. 25. q. un. & alibi. Navar. inc. Qualitas. d. 5. de pœnit. Ex illo Eccl. 3. *Qui amat periculum, peribit in illo.* Atqui agens cum conscientia intrinsecè seu practicè dubiâ de honestate actionis hic & nunc exercendæ, vel saltem periculo peccati annexo, si sciens & volens exponit se periculo peccati; elegit enim actionem indiscriminatim, sive bonam, sive malam, quasi dicat, sit peccatum, vel non sit, perinde est, ego volo agere, &c. Ideoque eo ipso implicitè censetur eligere malum; ergo eo ipso peccat, pro ratione materie, de qua igitur: & pro ratione dubii. Ut si dubitet,

an

an talis actio vel omissio, sit peccatum mortale  
& tamen operans vel omittens, peccabit mortale  
liter: si vero dubitet de veniali, tantum venialiter  
Quod si dubitet generatim & indistincte, an  
peccatum vel malum, dic eodem modo, quo  
estum est supra de conscientia erronea num. I.  
Atque hic maximè locum habet, & commode ex-  
plicandum venit, celebre illud dictum:

## §. II.

*In Dubiis tutior pars est eligenda.*

**D**ictum hoc habetur variis locis Juris Canonici: c. ad audientiam. c. Significatio  
petitio tua. Tit. de homicidio. Ubi in dubio de  
eo homicidio à Clericis, & irregularitate in  
contrafacta, Pontifex semper respondet: *Tutius ei-  
gendum esse.* Textus dabimus infra num. 96. Ita  
c. juvenis. de sponsalibus, in alio casu matrimonii  
dubii respondet Pontifex, *in his, que dubia suae  
certius est tenendum.* Dictum hoc sine dubio univer-  
saliter & semper verum est, quantum ad con-  
silio & perfectionem, semper enim consultio  
& perfectionis est, in quovis dubio eligere patrem  
tutiorum: at certe non semper necessarium, seud  
præcepto vel obligatione: hoc enim nullus dicitur.  
Unde ante omnia in dicto illo *To tutior pars,* non  
debet accipi comparativè ad positivum, scilicet  
*tutior, quam tutia:* quasi sensus esset, quando utrius-  
que pars dubii est tutia, adhuc tutiorem partem ele-  
gendum esse. Quod quamvis sit perfectionis  
non tamen potest esse necessarium, cum liceat in  
operando sequi quamlibet partem vere tutam. Val-

juxta dicta suprà num. 43. Sed Tò tutior accipien-  
dum est comparativè ad oppositum, scil. *tutior*,  
*quam non tuta, non secura, periculosa &c.* Ut sen-  
sus sit: Quandocunque una pars dubii est certa,  
tuta, secura, verum scilicet peccati periculum ex-  
cludit, altera autem pars non est certa, tuta, secu-  
ra, sed dubia vel periculosa de peccato, ejusve pe-  
riculo, tunc illam tutiorem eligendam esse. Et  
sic sine dubio verum est. Quemadmodùm etiam,  
si utraque pars dubii appareat periculosa de pec-  
cato, ut contingit in Sacerdote, qui ex officio tene-  
tur baptizare, dubitat, an non infans æger aquæ  
conspersus moriturus sit, minus malum, & peri-  
culum, eoque quasi tutius eligendum est, scil.  
mortis corporalis potius, quam damnationis.

§. III.

In quibus ergò Dubiis necessariò tutior pars  
eligenda?

Certum est apud omnes, necessariò tutiorem  
partem eligendam esse in dubio propriè seu  
practicè pratico, scilicet de actionis hic & nunc  
exercendæ honestate, an hic & nunc aliquid li-  
ceat, nec ne: v. g. *bodie comedere carnes, &c.*  
stante enim tali dubio, una tantum pars tuta est:  
scilicet *abstinere*: altera autem pars, scil. *comedere*  
*carnes*, simpliciter est non tuta, sed periculosa de  
peccato: ut dicit assertio, & probatur num. 69.  
Certum etiam esse debet; tutiorem partem eli-  
gendam esse in dubio speculativo, versante circa  
valorem vel efficaciam actionis exercendæ, juxta  
latè

late dicta *Assert. præced. IX.* per totam, de Maistro Sacramentorum, Medico, Judice, &c. Ulrius etiam tutiorem partem esse eligendam in dubiis speculativis juris & facti (excepta materia justitiae, ubi melior est conditio possidentis) adiut stante dubio speculativo v.g. an hodie sit indictum jejunium; necessario aut jejunandum aut dubium speculativum deponendum, docet *Vasquez*; *Turrianus*; *Sayrus*; alii apud *Sanchez* l. I. Moral. c. 10. n. 10. Ratio est: Quia aliquid adhuc te exponeres periculo peccati: Dinde Pontifices in Canonibus citatis in resolutionibus casibus allegant illud dictum: *in dubiis tunc pars, via, semita tenenda vel eligenda est;* ut quam regulam universalem:

## §. IV.

*In Dubiis speculativis non necessario ius  
pars eligenda est.*

75 **S**ed stante dubio speculativo Juris vel Facti: si an res hac mea sit, an matrimonium validum, an census germanicus sit licitus, si post diligentem inquisitionem dubium supernequeat, absque ulla speculativa resolutione, teris eligere partem minus tutam: scilicet rem dare: matrimonio dubio uti, &c. Communis & jam recepta Sententia Doctorum. Suarez: *Censaris disp. 40. sect. 5.* Sanchez. l. I. Moral. 10. n. 11. Ratio est: I. Quia opposita sententia dura est, & difficilis in praxi: Ergo sine sufficienti fundamento non asserenda. 2. Lex invi-

Cibiliter ignorata vel non sufficienter proposita  
seu intimata non obligat; secundum omnes: at-  
qui idem est, de lege post sufficientem inquisitio-  
nem dubitare, ac eam ignorare: ergo in dubio  
Iuris non est obligatio ad tutiorem partem: 3. Mi-  
lites de Justitia belli duobus, potest nihilominus  
militare. c. *Quid culpatur: 2. 3. q. 1.* ergo idem  
dicendum de aliis ejusmodi dubiis: 4. Secundum  
omnes, etiam adversarios, in dubio circa materia  
justitiae, v.g. *An res, quam hactenus bona fide  
posedi, sit mea; nec ne;* non est necessario tutior  
pars eligenda; sed licet eam retineo, licet id mi-  
nus tutum sit: atqui peccati periculum non mi-  
nus vitandum est in materia & lege justitiae, quam  
in materia & lege cuiuscunq; alterius virtutis:  
ergo, sicut non obstante dubbio ejusmodi specula-  
tivo in materia justitiae, potest occurrere sufficiens  
ratio formandi conscientiam practicè certam con-  
tra illud dubium: scil. *non esse restituendum Quia  
melior est conditio possidentis:* ac per hoc suffici-  
enter evitatur periculum peccati; ita etiam in  
materia aliarum virtutum & legum occurrere po-  
test similis sufficiens ratio contra dubium specu-  
lativum formandi conscientiam practicam cer-  
tam, se non obligari, v.g. qui invincibiliter dubi-  
tat de voto emissio, die festo, vel jejunio, se non te-  
neri voto, festo, jejunio &c. eò, quod etiam in iis  
dubiis melior sit conditio possidentis suam liber-  
tatem (de quo paulò infrà) atque per hoc æquè  
vitabitur periculum peccati. Nulla ergo est ratio  
oppositæ Sententiae, talem adhuc se exponere pe-  
titus

ticulo peccati. Deinde Pontifices in citatis C  
nonibus supponunt quidem illam regulam,  
*dubiis tutior pars est eligenda*: non tanquam la  
gem universaliter obligantem, sed tanquam regu  
lam convenientiæ: ob cujusmodi majorem con  
venientiam rectè statuunt in particulari dubio pa  
trati homicidii, Clericum debere abstinere à Sa  
cris, tanquam irregularem ob reverentiam tan  
Sacramenti & Sacrificii. Et hincè jam sensim in  
troducing, præmunita, imò probata venit

## A S S E R T I O XII.

**C**um conscientia dubia extrinsecè & objective  
tantum: stante scil. dubio speculatorivo Juri  
vel Facti, formando conscientiam practicam co  
grariam licetè operamur, si debitæ conditiones ad  
sint. Est jam communis & recepta Sententia  
Sanchez lib. I. Moral. c. IO. n. 9. Layman. c. 5.  
2. Bard. Discept. s. c. 2. alii apud ipsos.

## E X P L I C A T I O.

73 **R**atio Assertionis ex dictis liquet: Quia in op  
erationibus moralibus non tenemur immo  
diatè operari juxta judicia speculatoriva, sed jux  
dictamina practica, seu hic & nunc dictantia de  
quid licere, vel non licere: ergo non obstat  
dubio speculatorivo de facto, vel de jure aliquo  
communi, si conscientia practicè resoluta hic  
nunc prudenter dictet aliquid licere, agendum  
non agendum, contra illud dubium specula  
tum licetè operabimur. Quod autem contra d  
bium speculatorivum licetè possimus nos practi  
cere.

Resolvere, & amplecti partem minus tutam, jam probavimus nro. 72. Restat nunc explicandum, qualiter resolutio practica contraria facienda sit. Et sanè Assertio hæc maximi momenti & innumerabilibus implicita difficultatibus, quas latissimè persequuntur novissime P. Franc. Bardi. de *Conscientia*, Discept. 6. per totum, & Thomas Tamburinus in *Decal.* l. c. 3. §. 6. per tot. discurrentes per omnes fere materias. Böne Lector, ego magno studio selegi tibi hæc pauca sequentia, quæ ad casus conscientiæ communius occurrentes expediendos magis necessaria & sufficientia putavi. Conare bene capere.

## §. I.

*Sit ante dubio speculativò, fiat Resolutio  
practica cum ratione.*

**A**D hoc, ut contra dubium speculativum, in- 74 tellectus prudenter se resolvat practicè; adeoque voluntas licet agat, duo omnino necessaria sunt. Unum est; *semel pro semper*. Dubium speculativum verum & invincibile sit; adeo ut adhibitæ debitâ, & pro conditione personæ, ac circumstantiarum moraliter possibili diligentia inquirendi veritatem; nihilominus dubium perseveret; alioquin si se resolvere, & veritatem cognoscere sciat, aut scire possit, ac negligat, non erit verè dubius, nec consequenter poterit formare conscientiam practicam; & agere contrâ dubium. Alterum est: Non solo voluntatis imperio potest deponere dubium practicum contrâ speculativum (nisi forte hoc ex stutili motivo vel

THEOL. MORAL. PAR. I.

G

Ictu-

scrupulo conceptum esset ) sed necessariò debet adesse aliqua causa rationabilis movens ad eligendam alteram partem, & formandam conscientiam practicam contra dubium speculativum , ut supponimus , rationabiliter conceptum , uti docuntur *Doctores communiter cum Sanchez cit. l. I. c. II.* Exempli gratiâ. Dubitas speculative , an hâc via liasset indicatum jejunium : practicè verò : antenoris jejunare , carnis abstinenere , &c. Antemnia debes adhibere moralem diligentiam ad vindicandum dubium illud & veritatem cognoscendam. Si deprehendas , esse indicatum jejunium utique teneberis conscientiam & operationes conformare. Sin verò veritatem deprehenderes nequeas , sed dubium speculativum maneat : tunc simum quidem esset , se adhuc practicè conformare : scil. jejunandum esse : at potest etiam practice resolvere in alteram partem contra dubium scil. non esse obligationem jejunandi , &c. dummodo habeas aliquam causam rationabilem motivum ad hoc , quale in particulari esset aliquid verosimilis , exemplum bonorum , auctoritas viri fide digni , &c. Generatim verò ad eiusmodi practicas resolutiones contra dubia speculativa inserviunt illa duo solemnia dicta sequentia

## §. II.

*In Dubio melior est conditio Possidentis.*

75 **D**ictum hoc variè repetitum in jure , secundum omnes locum habet in materia iustitiae : quando nimis dubium est , an res aliquis sit hujus vel illius dominii seu proprietatis , &c.

nus de facto bonâ fide possidet illam rem: tunc  
 melior seu potior est conditio possidentis, ut nec  
 ipse eam restituere teneatur, nec ei etiam in judi-  
 cto auferri possit. Insuper etiam habere locum  
 in materia aliarum legum & virtutum, contra  
 Azorium, Sayrum, Valsq. Turrianum, & multos  
 à se citatos latè docet Sanchez. ( eadem operâ,  
 quâ aliud dictum suprà num. 72. ) lib. I. Moral.  
 c. IO. num. IO. Fillius tract. 21. c. 4. n. 159.  
 Bonacina de Restitu. disp. I. q. 2. p. 2. Caramuel  
 de Conscientia dubia disp. I. resol. 3. Bardi discept.  
 s. c. 4. alii apud ipsos. Est jam communior &  
 recepta Sententia, quam ut certam supponunt pas-  
 sim mei Layman, Marchant. Ratio est: Quia  
 eadem prorsus ratio militat in materia justitiae, &  
 in materia aliarum virtutum ac legum. Sicut e-  
 nim in materia justitiae, urgente dubbio, an sit res  
 mea, nec ne? resultat quædam æqualitas inter ob-  
 ligationem restituendi, & potestatem seu liberta-  
 tem retinendi, & ideo accidente possessione huic  
 parti, debet pars illa prævalere; ita in materia a-  
 liarum virtutum ac legum, quando urget verum  
 dubium: an quis obligetur aliquid facere, nec ne?  
 v. g. Jejunare, audire Sacrum &c. resultat quæ-  
 dam æqualitas inter obligationem legis, & liberta-  
 tem hominis. Quòd si ergo consideratis omni-  
 bus manet dubia obligatio legis, cum secluso illo  
 ipso dubio certa sit libertas hominis, debet præ-  
 valere libertas hominis potiori conditione posses-  
 sionis: idque etiam verum est quando rationes in  
 oppositum essent probabiliores; dummodo non

ita efficaces, ut tollant probabilitatem partis p  
sidentis, seu causæ disparitas adeò saveat non p  
sidenti, ut vincat alterius possessionem. V  
Sanchez. cit. n. 12.

## §. III.

*Possessio adjuvans in Dubio sit bona fide ut*

76 **U**T in dubio melior sit conditio possidenti debet possessio fuisse bonæ fidei ante ex-  
tum dubium. Exemplis gratiâ, in materia ju-  
tia. Quando quis rem alienam tanquam su-  
bonâ fide accepit & possedit, postea verô du-  
um erit, an sit aliena, & restitutioni obno-  
tenetur is equidem veritatem diligenter inqui-  
re, & interea rem conservare: quod si facta di-  
genti, & judicio boni viri, sufficienti inquisi-  
tione, veritas non appareat, durante & non obla-  
illo dubio speculativo juris, practicè certò se-  
solvere potest, licere sibi rem illam retinere, ul-  
pare, absumere, alienare: & quamvis postea al-  
na fuisse demonstretur, dominusque compare-  
non tamten obligatur restituere, nisi quod ad-  
extat, vel quantum inde dittior est factus. Co-  
munissimâ & certa doctrina. Sanch. lib. 2. de-  
trim. disp. 41. q. 2. & lib. 1. Moral. c. 10. n. 5.  
liisque citt. Laym. l. 1. tr. 1. c. 5. §. 3. n. 21. Di-  
p. 4. tr. 3. resol. 25. Ratio est: Quia in tali  
secundum jura, dubius non est spoliandus in fo-  
re externo: ergo neque in foro interno; quia foro  
internum semper externo conformari debe-  
quando externum forum falsæ præsumptioni n-

innititur, ut latè probat Sanch. cit. l. I. de matrim. disp. 5. n. 20. & alii apud Dian. cit. Adde ex modo dictis, etiamsi eo casu possessor bonæ fidei speculativè probabiliùs judicet, & magis inclinet, rem esse alienam, seu ad alterum pertinere, tunc tamen moralem certitudinem non habet, ad nullam restitutionem obligari, neque in toto secundum omnes, neque in parte, juxta scilicet inclinationem, majorem, vel minorem, ut docuerunt Bannes, Ledesma, Salon, Coninch, & ipse Sanch. cit. de matrim. lib. 2. disp. 41. n. 10. apud Dian. cit. Ita Molina, tom. I. tr. 2. disp. 16. Idem Sanch. retractans lib. I. moral. c. 10. n. 9. aliisque citatis Layman. cit. n. 21. Dian. p. 2. sr. 15. resol. 10. Ratio est: Quia non tenetur quis jure possessionis suæ se ipsum ante omnem Judicis sententiam privare, nisi constet rem ad alterum pertinere, ut etiam indicat S. Augustinus lib. de fide & operibus. c. 7. relatus c. si virgo 34. q. 1. dicens: bona fidei possessor rectissime dicitur, quamdiu se possidere ignorat alienum: dum autem certò non constat, rem esse alienam, tamdiu possessor ignorat se possidere alienum; & quamdiu partium jura incerta, vel obscura sunt, præsumptio est pro possidente: ergo &c. Confirmat praxis etiam bonorum: si enim aliquis rem bonâ fide tanquam suam possidet, & alius eam restituipet, tanquam ad se pertinentem, si post diligentem inquisitionem ipsi certò non constet, quidquid inclinet, vel probabiliùs appareat, rem ad alterum pertinere, solet possessor judicium experiri,

& antea non restituere, quām à judice, cogitata  
causā, condemnetur. Si autem partes eo  
Judicium non habeant, res compositione tra-  
genda erit, arbitrio bonorum.

Ex dictis sequitur, si quis in tali dubio à bo-  
fidei possessore rem sine autoritate Judicis au-  
rat, ei injuriam & injustum damnum inferre,  
ad integrum restitutionem obligari: sicut & in  
dicio à Judico ante cognitionem causæ in in-  
grum restituendus erit, ut ex Navar. c. 17. n.  
17. Sanch. cit. disp. 41. num. 26. & aliis no-  
Laym. l. 1. tr. 1. c. 5. §. 3. n. 21. At quid cu-  
dem; si possessor bonâ fide dubitans, rem eis  
tienam, dum neglexit culpabiliter investigare  
rum Dominum, unde postea impotens factus  
ad eum amplius cognoscendum? talem teneri  
stituere, aut illi, cuius rem esse dubitat: aut  
ignoto, pauperibus, juxta proportionem dubii,  
spei, quam ante habebat inveniendi Dominū, d-  
icit Sanch. lib. 2. Moral. c. 23. n. 183. Mol-  
tom. I. disp. 36. concil. 1. & alii apud Dian. cua-  
p. 4. tr. 3. resol. 29. Ipse tamen cum Castrop-  
lao tom. 1. disp. 3. punct. 2. n. 9. probabilem ca-  
set sententiam oppositam Bonaçinæ de contrac-  
disp. I. q. 2. punct. 2. n. 8, talem nimicū m-  
teneri ad ullam restitutionem; tum quia quam  
peccaverit negligendo inquisitionem veritatis  
tamen possidere coequit bona fide, ut supponit  
sed melior est conditio possidentis: ergo, &  
Tum quia non constat, an damnum alteri in-  
lerit, non inquirendo rei veritatem: qui autem  
dubit

dubitat , an suâ actione , vel omissione fuerit aliis causa damni , non tenetur ad restitutionem : ergo &c. Sententia omnino probabilis : prior tamen tuthor. At contrà , si quis ab initio rem malâ vel dubiâ fide possedit , utpote dubitans esse fors alienam , vel furtivam v. g. quia emit , vel dono accepit à persona suspecta vel infami de furtis , jam assimilatur possessori malæ fidei , & post diligentem veritatis inquisitionem , perseverante dubio , non poterit totum retinere , sed tenetur restituere pro rata & proportione dubii juris , quod alias in illam rem habere putatur : & si comparente vero Domino demonstretur fuisse aliena , tenetur restituere totum , in re , vel in æquivalenti , unâ cum fructibus rei , tanquam possessor malæ fidei , cui sua possessio nihil suffragari potest , etiam amissio pretio , quod pro re illa dubia dediti , quia malâ fide dedisti. Communissima DD. in materia de justitia : quos congerunt , & sequuntur Sanch. l. 2. de matrim. disp. 41. n. 24. Laym. c. 5. §. 3. n. 22. Dia-  
sap. 4. tr. 3. resol. 27. Ratio est : Quia ex una parte , qui rem aliquam accepit dubitans , an accipiendi jus habeat , is non bonæ , sed malæ fidei possessor est : juxta illud principium : *malâ fide contractum iniri possessionem inchoari ab eo , qui initio dubitat , num contrahendi , possessione capiendo insibeat* : ergo perseverante hoc dubio , possessio ei suffragari non potest ; ex altera autem parte , quia certus non est , rem ad alterum pertinere , & ipse dubium in ea jus habeat , ex titulo emptionis , vel donationis : ideo perseverante hoc dubio

non obligatur ad restituendum totum sed tantum  
secundum dubii proportionem, donec com-  
rente vero domino res ipsius esse certò dem-  
stretur. Sunt tamen casus, quibus quis rem  
biè furtivam vel alienam emptione, vel donati-  
accipere, justè possidere, & retinere potest.  
Si à possessore bonæ fidei accepit, intelligens  
mirum venditorem vel donatorem bonâ fidei  
rem alienâsse, quia potest diligentem inquisitionem  
is non poterat deprehendere rem esse alienam  
nam eo casu emptor succedit in jure venditorum  
ut ex Molina & Sanch. citt. notat Layman. n.  
n. 22. in fin. II. Si quis dubitans vel suspicans  
esse furtivam, eam emit, vel dono accipit,  
proposito eam Domino reddendi tanquam  
negotium utiliter geslurus, & postea Domini  
reddens deducere potest pretium datum, dum  
dò pretium justum sit, & alias dominus rem  
sine tantis expensis non esset recuperaturus.  
Sanch. loc. cit. n. 29.

*Exemplum aliud in materia Matrimonii.*

77 **S**i post matrimonium bonâ fide contractum  
itea superveniat dubium de illius valore  
latentis alicujus impedimenti suspicionem. 1.  
dubitans ante omnia adhibere debet moralem  
ligentiam inquirendi veritatem, & interim,  
spes est veritatis cognoscendæ, à petendo de-  
abstinere debet: attamen alteri conjugi bona  
petendi reddere tenetur; Ut in simili mox iterum  
dicam. 2. Factâ sufficienti inquisitione du-  
perleverante, non solum alteri conjugi petenti  
vis n.

bitum reddere potest, & tenetur; cum nemo  
privatus alterum sui juris possessione privare pos-  
sit, ob dubias, vel probabiles, non tamen certas  
rationes: Verum etiam. 3. Ipsummet debitum  
licite exigere potest, ut contra Hurtad. & alios a-  
pud Dian. cit. p. 4. c. 3. resol. 15. docet communis  
DD. cum Sanch. lib. 2. de Matrim. disp. 41. q. 4.  
n. 46. Laym. cit. §. 3. n. 24. alii apud Dian. ibid.  
Ratio est: Quia dubium superveniens bonæ fidei  
possessori obesse non debet: neque hic adest peri-  
culum peccati, seu fornicationis formalis; nam  
estò matrimonium reipsâ esset nullum, attamen  
probabilis & in vincibilis ignorantia in bonæ fidei  
possessore à peccato excusat: atque ita colligitur  
ex S. August. lib. de fide & operibus c. 7. quod re-  
fertur. 34. q. 1. c. 5. virgo &c. 2. ut lite pendente:  
ubi habetur: quod conjugum alteruter accusatus  
(de matrimonii defectu) ante probatam accusa-  
tionem, jure, quod habet in altero, privari non  
possit. Et expressius c. inquisitioni de sent. excom-  
municationis. 4. Quod si denique Matrimonii  
defectus alicui manifeste exploratus sit, jam nec  
reddere, nec petere poterit: quin debet potius ex-  
communicationis sententiam humiliter sustinere,  
quam per commercium carnale peccatum operari  
mortale (scil. fornicationis, petendo, vel red-  
dendo putatitiae conjugi) ait Innocentius III. cit.  
c. inquisitioni. At valde difficile est, quod ibid. in  
fin. subjungit: verum, cum conscientia pulsat a-  
nimū ex credulitate probabili, & discreta, quam-  
vis non evidenti & manifesta, debitum quidē reda-

G 8

dere

dere potest, sed postulare non debet, ne in alterum ipse contra legem conjugii, vel contra judicium concilii cuius est committat offendam. Hæc Pontifex. Vnde est responsio DD. & Canonist: apud Laym. quod num. 24. fin. Ipse autem facilius respondet senserit, ibi Pontificem loqui de illo, qui ab initio malâ fide contraxit matrimonium; quia videtur tunc dubitabat vel dubitare debebat de ejus valori ut proinde casus sit similis illi, de quo agitur Dominus, mox allegando. Contrà verò, si cum matrimonium ab initio contraxit malâ vel de fide ob latentis impedimenti suspicionem per verantem dubio, ipse debitum petere non potest ob rationem datam: attamen alteri conjugi, bonâ fide contrixerat, bonâ fide petenti reddi obligatur. Ita expressè resolvit Pont. Alexander III. c. Dominus. de secundis nuptiis. ubi dubius de valore matrimonii, quod contrixerat, nondum habitâ certitudine de morte prioris conjugis, spondet: *Ei, qua sibi nupsit, debitum non debet postulantem, quod à se tamen noverit nullatenus exigendum.* Communis DD. cum Sanch. cit. Laym. Dian. cit. Porrò si uterque conjux in fide contraxit, scil. gnarus vel dubius de impedimentoo dirimente, jam neuter poterit per planum multò minus alteri petenti alterum reddere tenetur, ut omnes advertunt. *Ratio clara est:* si jam neutrī suffragatur possessio malâ veldubia incepta. At quid si conjuges eo casu habeantur in Litiones aliquas probabiles, matrimonium valeat quamvis probabilius judicent, non valere? Pon-

alteri ipos reddere & petere debitum, affirmant Sanch.  
umon cit. disp. 42. de matrim. n. 9. Negat autem mordi-  
ex. Vi cus Merolla apud Dian. cit. p. 4. tr. 3. resol. 15. fin.  
Laym qui utramq; sententiam censet probabilem. Ego  
ndend sententiae Sanch. libens accedo propter rationem  
ii ab in datam. sect. 3. de conscientia probabili. Confor-  
a vid miter ad predicta resolvendum erit in aliis mate-  
jus val riis quibuscunque. His ita suppositis, jam statua-  
o agim mus aliquot regulas communies pro casibus parti-  
ò, si cularibus innumeris resolvendis.

## §. IV.

*In Dubio non presumitur factum, sed demonstrari debet.*

Dicitum hoc habetur in jure civili L. in bello. ff. 78  
de captiuis postliminiò reversis. Atque uni-  
versaliter verum est, quando dubitatur de facto  
principali aliquo, ut, *an voveris, percusseris, &c.*  
I solo exceptio: nisi in casu particulari jus aliud sta-  
tueret, ut de facto homicidii in ordine ad irregu-  
laritatem: de quo infra num. 98. At vero, quan-  
do jam constat de facto aliquo principali, & du-  
bitatur solum de altero aliquo facto accessorio, vel  
secundario, non est universaliter verum, sed am-  
plam habet exceptionem. Accipe hanc generalem:  
*In dubio tale factū presumitur, quando de jure fa-  
ciendum erat: aut sit ita ordinariè fieri soleat: aut  
est: Si ita fieri sit favorable facienti. Ex Laym. cit. c. 5.  
dubia 4. n. 32. & aliis. Quò spectat & alia regula Glosse  
beantur L. de contrahenda. ff. de regulis juris. In dubio  
ton præsumitur actum aliquem, v.g. donationis, legati,*

legati &c. intervenisse. Si autem constet, ut  
aliquid actum potius ut validum, quam ut immo-  
pronuntietur. Quod si ergo constet, homo omni-  
quidpiam egisse. v.g. aliquid Deo vovisse: m  
monium contraxisse, testamentum condicione  
rem alienasse, aliuvme contractum celebrasse  
& dubitetur solùm de accessoriis jure debiti pte-  
fieri solitis, ea meritò facta præsumuntur: cui  
quod adhibuerit sufficientem deliberationem  
nimis se obligandi & implendi, solemnitate  
jure ad talem actum requisitas, &c. Quia in  
rūm rationabile est, ut magis existimetur ali-  
munus suum rectè obiisse, atque in eo, quod  
nihil necessarium omisisse: Delictum enim ex-  
fectus non præsumitur, sed demonstrari de-  
Quæ maximè vera sunt in materia favorabilis  
ranti. Quò etiam referri debet, quod quin  
cunque constat de actu externo ritè peracto  
matrimonii contractu, Religiosæ professione  
stamenti, &c. in dubio præsumantur actus in  
sufficientes & requisiti adfuisse, nisi acceda  
præsumptio in oppositum, ob eandem ratio-  
Ex dictis jam statuamus aliquot regulas con-  
nes pro casibus particularibus communius o-  
rentibus resolvendis.

### Regula Generalis.

79. **I**llud possidet, aut præsumitur in dubio, quod  
certum est, vel prius est, vel prior alicui cule-  
lariter accessorium, aut certè dubitanum ma-  
vorabile. Hanc rudem, ac velut rusticam reli-  
ciem.

instet, credo Confessario simplici sufficientem, certè facile applicabilem ad plerosque casus: sanè non homines. Quænam enim universalis regula istum casuum Euripum ac voraginem contineat? certè neque illa, quam ex Soto tradit Sanchez cit. l. ac 10. n. 13. & ex eo Bardi discept. s. c. 5. à præsumptione fori externi petitam: quam tamen difficeretur applicabis.

## REGULÆ SPECIALES.

### Prima.

**Q**uandounque vero dubitatur, de lege aliqua gata, promulgata, recepta, aut de vero certe sensu, homo manet in possessione sua libertatis contra legem. Contrà. Quandounque constat, legem aliquam fuisse latam, promulgatam, receptam; dubitatur autem solum de ejus obligatione protali vel tali casu, vel de ejus abrogatione, Lex est in possessione sua obligationis contra hominem dubitantem. Ratio: Quia in primo certa est libertas, dubia obligatio: in secundo, certa est obligatio, dubia liberatio.

### Exempla primæ Partis.

I. Dubitas, an pro hac vigilia sit indictum jejunium: aut hodie hujus Sancti Festum: non teneris. Jejunare, vel Missam audire, &c. jam saepius inclinatum. Item Germanus scit, in Quadragesima magna esse indictum jejunium, dubitat autem, an replicat sibi vesci ovis, caseo, butyro; licet iis vescitus.

scitur. Etsi enim lex sit in possessione obliga-  
tibus quoad jejunium, non tamen est in posses-  
sione illius stricti sensus, cui defacto universali  
Germania derogatum est.

II. Item leges in Diana vel alio Authore, non Filli  
aliquam constitutionem Romæ editam, ne scis na-  
tem vel dubitas, an authenticè publicata sit in p[ro]p[ri]etate  
Dioecesi vel Patriâ, non obligaris. Quia licet statu-  
le credam, leges Pontificias Romæ in locis fictione  
publicatas jam sortiri essentialē vim obligandi  
Christianos per totum orbem, ex communib[us]  
sententia: certum tamen puto, non habere  
actu obligandi in aliis partibus, nisi ubi obligatio  
publicata vel intimata sunt, utpote per L[et]teras v[er]o  
tos, Episcopus, Prælatos Regulares, respe[ci]tabiliter  
quibus in eo negotio credere tenemur: De oblige-  
mento nobis constare debet. Marchant, Tract. de  
p. 2. Tr. 2. Tit. 8. q. 5. in appendice.

III. Dubitas: an lex aliqua præcipiens, vel vel ha-  
hibens, præsertim censuram vel irregularitatem  
inducens, nunquam usu recepta fuerit, & vim obligandi  
obtinuerit, utpote quia nihil contrahibile  
eius usu, præsumi potest, non esse usu receptu  
idque maximè, si videoas alios communiter ap[ro]posi-  
tum, adeò ut nec tu peccati damnari sum  
sis, si eam non observes. Ratio est: Quia jam ab-  
bitatur de aliquo essentialiter requisito ad obli-  
gationem legis: dum enim dubitatur, an lex aliquo  
modo usu recepta sit, eo ipso dubitatur, an aliquis mis-  
obligaverit: ideoque possessio non stat ex ratione  
legis, sed pro subditis suam libertatem possigat.

obligi tibūs: ita Azorius tom. I. l. 2. c. 19. q. 12. Cas-  
tiglione stropal. aliisque citatis probabilem & in praxi tu-  
fali ut tam censet Diana. cit. p. 4. tr. 3. resol. 14. Etsi  
contrasentiant Sanch. tom. I. lib. I. moral. c. 10.  
te, ne Filiucius tom. I. tr. 21. c. 4. n. 164. Bonaci-  
nescina, & alii apud Dian. ibid. eò quod tunc præsum-  
ma sit in p̄tio & possessio videatur stare pro lege, quam con-  
licet stat esse latam, & dubitatur tantum de ejus execu-  
cione. Sed hoc negatur: dubitatur enim de ipsa  
obligatione legis aliquando habita, quæ nisi pro-  
muntur, possesso stat pro libertate.

abere IV. Similiter quando verè dubitatur, an con-  
oblig suetudo aliqua hactenus observata in Comunita-  
per L. v. g. Festum aliquod celebrandi, jejunium, vel  
especial abstinētiā talis diei servandi, peregrinationem  
: Deobeundi, habeat vim legis obligantis, an solum  
at. Tridevotionis vel honestatis: potius inclinandum est  
n eam partem, quod consuetudo sit devotionis,  
s, vel vel honestatis, quam obligationis: quia generalis  
Iarini regula est: quod in dubio nemo præsumitur velle  
& vim obligari: neque expedit multiplicare præcepta,  
contra tibi moraliter certa non sunt, vel probabilis. Ita  
eeepuerbotenū Suarez de legibus l. 7. c. 15. Rebellus,  
iter a osque sequens Diana cit. resol. 58. etsi opposi-  
nari um sentiat Azorius tom. I. l. 5. c. 15. q. 5. & sine  
ia jam dubio tutius.

Exempla secundæ Partis.

I. Constat esse legem latam de non portandis  
aliquam mis, de non comedendo, vel bibendo extra  
ut ex monasterium; dubito verò, an talis lex denuò ab-  
possingata sit, vel per non usum cessat &c. teneor  
obli-

82

obligatione legis, pro qua stat possessio contri-  
bitantem. Quodsi tamen verè dubites, an talia  
unquam usu recepta fuerit, & vim obligando  
tinuerit, puta quia nihil omnino constat de  
usu, maximè si videoas alios communiter  
contrarium, non potest peccati damnari;  
quóque non observes, ut modò ante diximus,  
constat, rem, quam possideo, esse alienam, ve  
stitutioni alioquin obnoxiam; dubito vero  
præscribere vel usucapere possim, ut restitu-  
non teneat, manente dubio, teneat restitu-  
quia certa lex restitutionis non potest elidit,  
meum dubium.

II. Constat me emisisse votum, vel juramen-  
tum: dubito autem, an dispensatum vel irritum  
sit; aut si dispensatum, vel irritatum sit, tamen  
dubiā fuit potestas dispendandi, vel irritandi: ce-  
st, me manere obligatum; quia certa obli-  
voti vel juramenti non potest tolli dispensa-  
per vel irritationē dubiā quoad factum vel valo-  
At quid si dubitem, an votum illud, vel jura-  
tum emissum sit ante vel post annos pubertatis  
ideo à Patre vel Tute meo irritari possit: cer-  
huc posse à Patre vel Tute irritari contra DD.  
& quosdam alios docent communis Suarez de L  
lig. tom. 2. l. 4. c. 6. n. 1. Sanch. l. 4. Mon. Dia-  
32. n. 2. Joann. Sanch. Tamb. eosque citantur eo  
fol. 37. Ratio est: Quia licet votum manet cujus  
possessione respectu ipsius voventis, eumque non  
dubio obliget, non tamen respectu irritantur in j  
cau-

enim retinet certam possessionem suæ potestatis dominativæ in filium ad ejus vota ante pubertatem edita irritanda: ergo quamdiu non constat de exemptione filii ab hac potestate Patris per certò elapsum tempus pubertatis, Pater non est privandus hâc potestate suâ. At ulterius, quid si dubium sit, an votum sit confirmatum à filio post annos Pubertatis, ut sic amplius à Patre irritari nequeat?

B. Sive dubitetur de ipsa confirmatione facta, sive solum de tempore confirmationis factæ, an Icil. filius ante vel post pubertatem votum confirmaret, adhuc poterit Pater irritare ob eandem rationem, certam scil. possessionem suæ potestatis dominativæ, quâ per illam dubiam exemptionem privari non debet, ut latius videre potes apud eundem Sanch. cit. n. 7. & 8,

III. Constat, hodie esse indictum jejuniū, dubito verò, an me obliget ob laborem, vel iter peractum &c. teneor jejunare, quia certa obligatio dubiâ excusatione tolli non potest: vel petenda erit dispensatio à Superiore: & generaliter quan- docunque causa excusans ab obligatione legis certae est dubia, dispensatione opus est. Comunis DD. Sanchez l. 2. de Matr. disp. 41. n. 37. Suarez de Legibus l. 6. c. 8. n. 7. Fillicius, aliisque citatis Dian. p. 4. tr. 3. resol. 22. & 56. Quodsi tamen eo dubio ageretur de damno notabili salutis alius cuius, nisi carnes comedat, vel iteratò reficiatur, non opus fore dispensatione, docet Joan. Sanch. in select. disp. 51. n. 9. ita ratiocinans: existente causâ manifestâ non egere jejunantem dispensa-

THEOL. MORAL. PARS I. H. tio-

tione comedendi carnes , omnes fatentur : eod ergo modo dubiâ causâ existente opus non dispensatione , cùm idemmet jus habeat aliquis fugiendum damnum certò venturum , atque il de quo rationabiliter dubitatur , an sit futurum sic ille apud Diana cit. resol. 56. meritò addenda sed an probabiliter , videant alij. Certè mihi probabile non videtur. Habet quidem quisque vitandi damnum etiam incertum , si tamen lex sistat , dispensatio petenda est : atque id docet opera praxis Ecclesiæ , & Episcoporum : semper enim dubiè excusati ex testimonio Medicis dispensationem petere coguntur. Quòd si talis aliquis verè rationabiliter dubitans de damnatione ex jejunio sine dispensatione carnes mederet , secluso contemptu , non ausim statim damnare peccati mortalis.

IV. Eodemque modo resolvendum , quia dubia est causa excusans ab auditio[n]e Sacrae recitatione Horarum &c. Atqui si dubites ob infirmitatem v. g. totum , vel saltem major partem sine nocumento valeas recitare ? R. Diana cit. resol. 67. eo casu te posse & debere reformare judicio Mcdici , qui si asserat recitatione nocitura[m] , certè deobligaberis : si secùs , ob tutus manebis , etiam si possis solas Horas minime dicere , seu partem officij minorem : est enim sententias ab Innocentio XI. damnatas exceptam hæc §4. Qui non posset recitare maximum & landes , potest autem reliquas Horas , nihil tenetur , quia major pars trahit ad se minime

At quid si ipse Medicus dubitet, an graviter nocitura sit recitatio? *Suarez cit. purat, te manere obligatum, quia præceptum, ejusq; obligatio est certa, & causa excusans dubia maximè: ideoq; prævales & possidet præcepti obligatio.* Sed Bonacina de Horis *Can. disp. I. q. 6. punct. I. n. 4. negat, te esse obligatum:* Idque probabilius judicat *Castropalans apud Dian. ibid. non dissentientem.* *Ratio est:* Quia non teneris periculo gravis damni te expondere ob præcepti Ecclesiasti observationem: nam et si ipsum damaum sit dubium, attamen periculum illius gravis damni non dubium, sed certum est; quo stante præceptum Ecclesiasticum non obligat, nec possidet, sed potius possidet præceptum naturale cavendi grave nocumentum proprium, Ego rursus accedo Sententiæ *Suarez* observationem præcedenti exemplo indicatam: ideoque aio, opus esse dispensatione Superioris, quæ si haberet nequeat, tentandum esse, quo usque periculum damni verè advertatur. Tandem quando in simili casu verè dubitas, an opus sit dispensatione Papæ, Episcopi, vel Superioris, te non obligari ad eam petendam, sed tuto procedere posse probabiliter docent Eman. Sa. V. dispensatio n. 1. Laym. l. I. tr. 4. c. 22. n. 4. aliisque citatis Castropal. & Barbosa apud Dian. cit. resol. 46. contra Bonacinan putantem, talem se exponere periculo peccandi in legem Superioris. *Ratio est:* Quia in tali casu, cum incerta sit necessitas dispensationis, ad est præsumptio pro libertate, neque alicui moraliter periculo faciendo contra legem te exponeres; quia

H 2

nep

non debes te censere legi adstrictum. Et concilium ex tutiori sententia, eo dubio opus esse dispensatione in casu alioquin Papali, adhuc poterit dispare Episcopus; quia non videtur Pontifex reservare casus dubios, sed certos, ait Castrop apud Dian. *ibid. fin.* Et in simili de votis iterum agam mox infrà.

## REGULA II.

**83** *In dubio facti fundantis legem homo manet in possessione sua libertatis. Contrà In dubio facti supponentis legem, lex manet in possessione obligationis.* Ratio Regulæ est eadem, quæ prioris.

*Exempla primæ Partis.*

**84** *I. In pœnis.* Universaliter in omnibus iuribus legibus pœnalibus, etiam censoriarum & irregularium, in dubio facti, quando verè invictius dubitatur, an quis commiserit tale factum propter quod constat esse decretam pœnam, absuram, vel irregularitatem. &c. nemo censetur nisi ligatus: exceptâ solâ irregularitate ex delicto vel homicidij voluntarij, constante corpore delictum & non aliter: nam delictum commissum estum fundans legem pœnalem: & quia in dubio specialiter non præsumitur delictum commissum, non potest inducere obligationem pœnæ. Accedit verè invicibiliter dubites, an homo à te percutiatur Clericus, nec ne, & ideo an sis excommunicatus, non debes te censere excommunicatum, sed licet audire Sacrum, aliisque omnia excommunicatis prohibita facere potes: Quia nimis artificiosa.

dubio non præsumitur factum, & melior est conditio possidentis; cum ergo quilibet possideat jus communicandi cum fidelibus, in Sacris, & Politicis, non debet in dubio eo jure spoliari. Sed de his mox plura inferius assert. seq. Similiter si dubites, an aliis sit excommunicatus, aut si scias, eum excommunicatum, dubitas tamen, an sit non toleratus, scil. notorius percussor Clerici, aut jam nominatim denuntiatus; non debes eum devitare, sed ut eum evitare tenearis, requiritur notitia moraliter certa notoreitatis, vel denuntiationis factæ. Ex communi Filiuc. tom. I. tr. 13. c. 7. n. 129. aliosque citans Dian. cit. resol 35. &

71. Ratio iterum est: Quia alias faceres illi injuriam, cum in dubio melior sit conditio possidentis. Excipe tamen, nisi ageretur de valore auctus, ut si velles confiteri ei, quem dubitas, esse excommunicatum non toleratum; tunc enim abstinere deberes, ne te exponas periculo faciendo Sacramentum irritum, modò absque scandalo, vel alio periculo abstinere possis. Item si scias, hunc esse peccatorem, v. g. usurarium, concubinarium, sed dubitas, an sit notorius seu publicus, vel occultus, adhuc non est ei deneganda Eucharistia, quia in eo dubio homo possidet libertatem accedendi ad hoc Sacramentum. Ita post alios Dian. ibid. Adde speciale non rarum in praxi: si dubitatur, an infans fuerit valide baptizatus ob materiam, vel formam, vel intentionem dubiam, v. g. quia fuit ablutus in solo pede, vel in aqua artificiali, vel à Sacerdote, aut alio ebrio, balbu-

tiente &c. etsi supervivens debeat rebaptizari conditione, attamen sic mortuus non est prædus Ecclesiasticâ sepulturâ, sed in loco Sacro peliri potest & debet, ob eandem semper rationem, ex communi Dian, *ibid. resol. 69.*

II. *In votis & similibus*: Qui verè dubitat emiserit votum, fecerit juramentum vel alii promissionem DEO vel homini: aut (quod quentissimum) constat quidem, te aliquid mandare crevisse, dubitas autem invincibiliter, an ne proposueris, an verò verè promiseris, ac animo obligandi habueris, & omnibus consider nulla pro voto præsumptio appareat; non tens obligatione voti. Ut contra *Cordubam*, *Vagum Azorium*, & alios sanè non paucos apud *Dian* p. 4. tr. 2. resol. 10. docet jam communior & praxi tuta sententia, cum *Suar. tom. 2. de Relig. l. 4. de voto. c. 5. Sanch. l. 1. Moral. c. 10. dubi Layman. Marchant citati. Ratio est: Quia nō hīc est possessio pro voto, vel juramento, sed tā pro libertate voluntatis; nam illa facta fundat legem, quæ, quia in dubio non præsumuntur, possunt fundare obligationem contra ceteram libertatem hominis. Et specialiier *Obligatio pro juramenti, promissionis, adstruenda non est, nisi quide cognoscatur. Arg. l. Quidquid de verb. lig.* Addunt DD. citati, verum esse, etiam si aliquis suspicetur, seu magis inclinet in eam partem, quod vovisset, jurasset, promisisset, dum tamen incertus manet non teneri. *Imq. Sanch. citat n. 37. ad verum esse, etiam si quis ob rationes utrinque**

currentes probabilius opinetur, se vovisse, dummodo etiam rationes probabiles habeat, quod non voverit: posse, sequendo opinionem etsi minus probabilem & tutam, non implere. *Ratio est:* Quia licet pro voto fortiores urgeant rationes, & homo in eam partem magis inclinet; si tamen non sint adeo efficaces, ut assensum certum generent, sed rem adhuc relinquant dubiam, si altera pars adhuc appareat probabilis, omnino debet prævalere, possessio certæ libertatis.

III. *Ambigua circa vota.* 1. Constat quidem, me emisse votum, sed dubito, an habuerim intentiōnem me obligandi? teneorūe voto? Omnipotē sic: quia possessio & præsumptio stat pro voto; nam in dubio præsumitur quivis potius recte vovisse, vel promisise cum debita intentione essentiali promissionis, quam stulte & nugatoriè. 2. Dubito, an habuerim sufficientem deliberationem, ut pote quia votum factum fuit in aliqua animi perturbatione, v. g. ob metum mortis, ex morbo, naufragio, latrocino, aut ob vehementem passionem iracundiae &c. maneōne obligatus? Omnipotē manus: quia in his casibus raro contingit defectus deliberationis requisitæ; & ideo ex communiter contingentibus præsumitur, debitam deliberationem adfuisse, tanquam aliquid alteri certò regulatiter accessorium. Ita Suarez de Relig. tom. 2. l. 4. c. 6. n. 10. Sanch. lib. 4. Moral. c. 1. n. 13. Layman. cit. Dian. p. 4. tr. 3. resol. 11. 3. Dubito, an tunc temporis, quando vovi, habuerim usum rationis, aut defectum deliberationis, ex teneraetate, quia

H. 4

val-

valde puer vovi? Distinguendum cum Sancti pro  
modò cit. n. 14: si vovens septennium exple  
tempore emissi voti, præsumendus est usus & g  
nis in ipso (nisi occurrant præsumptiones in pro  
trarium prævalentes) ac proinde obligabit vo  
juramentum, vel alia promissio. Si autem n. 6  
non explevit septennium, præsumitur regulam alii  
defectus rationis (nisi in raro casu de illo contu  
ret) ac proinde non obligabitur. 4. Hoc ipse sus  
dubito, an tunc expleverim septennium, nec c  
quando vovi? Respondebitur mox regul. 3. p  
terim obiter nota, non solum ejusmodi vota p  
obia irritari, vel dispensari à potestatem habent ser  
verum etiamsi ejusmodi vota dubia emissa eis p  
in materia reservata, utpote de castitate perpetua. Nec  
aut Religione ingredienda, non censentur esse dubia  
servata Pontifici, quia cum reservatio sit odio pos  
restringenda est ad casus certos, non extendenda tene  
casus dubios, sine dubio non ex mente Pontificis. Sess.  
universalis Patris. Communis cum Suarez n. 6. c. 6. o. 26. n. 6. Sanch. cit. l. 4. c. 40. n. 26. Quare non  
ejusmodi & quibusvis dubitis votis dispensari ita p  
test Episcopus, vel alias Privilegiatus.

IV *Ambigua circa Professionem.* Emisi p  
fessionem Religionis, sed. 1. dubito: an meā  
intercesserit, nec ne, præsumitur, non intercess  
& professionē valere: ut in quovis actu decernat  
L. 2. ff. de his, quem tū causā. 2. Constat, i  
tum intercessisse, sed dubito, an justè incussum  
rit, an verè gravis, vel levis, ideoque professio  
leat, nec ne? Iterum præsumendum est pro val  
8. Et p

Sanch. professionis; quia cùm constet de professione, &  
exclusio dubia sit, possessio stat pro professione:  
& generaliter quandounque dubitatur de valore  
professionis, judicatur in favorem Religionis.

Communis DD. Suarez, tam. 2. de Relig. l. 7. c. 2.  
n. 6. Sanch. de Marrim. l. 7. disp. 37. n. 12. Less.  
aliique apud Dian. cit. resol. 55. 3. Certè ex me-  
tu gravi injustè incusso, vel alia causa fictè profes-  
sus sum, sed dubito, an intra quinquennium ratifi-  
caverim, nec ne? Distinguendum est: si ante elap-  
sum quinquennium sic dubites, non teneris stare  
professione; sed adhuc reclamare, & exire potes,  
servatis servandis: quia ante quinquennium elap-  
sum nec jus præsumitur ad ratificationem; ergo  
nec tu in dubio præsumere debes: ideoque in ea  
dubio possessio stat pro libertate. Contrà vero, si  
post elapsum quinquennium primùm sic dubites,  
teneris professione: quia jus ipsumque Cone. Trid.  
sess. 2 s. c. 19. de Regular. præsumit, professum ra-  
tificasse suam professionem, si ante quinquennium  
non reclamavit: ergo & ipse professus dubitans  
ita præsumere debet: & jam possessio stat pro Re-  
ligione. 4. Volo ingredi vel profiteri Religionem,  
sed dubito, an necessitas parentum sit gravis, ut  
meā ope necessariò egeant, nec nec? Potes licetè  
ingredi & profiteri, & jam professus egredi non  
poteris secundum omnes; quia cùm eo casu du-  
biū sit præceptum, & obligatio succurrenti pa-  
rentibus, possidet libertas filii ad ingrediendam  
Religionem. Vide latè Sanch. l. 4. Moral. c. 4. n.  
8. Et nos iterum suo loco p. 3. de votis.

H 5

Exem.

## Exempla secundæ Partis.

85 I. Dubitans, an Vesperas vel alias Horas haberet solvere: an votum suum, juramentum, aliam promissionem impleverit: an certæ alicuius obligationis remissio facta sit, vel hic & nunc causans causa adsit, &c. manet obligatus adhuc plere, secundum omnes, nemine contradicente Tannero *hic disp. 2. q. 6. dub. 4. n. 48.* Cui enim fuit obligatio, dubia vero exsolutione vel liberatio, quæ, quia sunt aliquid facti, in dubio præsumuntur: ideoque possessio & præsumptio stat pro legis obligatione. Excipe tamen si probabilem conjecturam habeas in contrarium ut si dubitans de Hora aliqua recitata mente habuisse propositum recitandi, librum tenet Horas incepisse &c. præsumere poteris, testasse; idque maximè, si scias, te Horam aliquam recitasse, dubitas autem solum, an aliquem cum dixeris; immo si sis timidæ conscientie, faceres repetendo, aperis enim januam scrupuli & ideo Confessarius tibi injungat, ut non repete & reliquum officium prosequaris, inquit benignus *Homo bonus apud Dian. cit. resol. 68.*

II. Idque universaliter verum est, quandoque ex parte operantis supponitur certa obligatio vel debitum aliquid faciendi, & dubia sit implementatione in materia justitiae erga alterum, ut in *Vasquez 1. 2. disp. 66. c. 7.* saltem quando solvitor dubitat, an v. g. debitum solverit, rem nam restituerit, &c. creditor autem non dubit sed vel existimet non esse sibi satisfactum, vel

culti sibi debiti ignarus sit. Tunc enim iterum possessio stat ex parre debiti certi, & solutio dubia non præsumitur. At, quid si uterque tam debitor, quam creditor dubitet de solutione facta? Debitorum adhuc teneri ad integrum solutionem affirmat *Sanchez. cit. c. 10. n. 12.* Eò quod creditor sit in certa possessione sui juris, quo per dubiam solutionem privari non potest. Contrà, debitorem omni obligatione liberat *Tanner. cit. n. 49.* Eò quod in tali dubio melior sit conditio possidentis, utraque opinio probabitur, adeò ut eo casu, nec debitor condemnandus sit, si omittat: nec creditor, si exigat integrum solutionem, ut notat *Layman cit.* qui tamen longè probabilius resolvit, ad æqualitatem inter utramque partem servandam, debitorem teneri non ad integrum solutionem, sed tantum ad partem debiti secundum proportionem dubii: Quia æquitas non patitur, ut debitor, sine sua culpâ, magno periculo subjaceat solvendi bis integrum debitum, creditor autem & ipse dubitans, una cum dubio binæ solutionis, nulli periculo expositus sit.

III. Titius & Catus codem ferè tempore rem habuerunt cum Anna, nata inde prole; jam dubitatur quisnam eorum sit Pater, & prolem alere tenetur. Responsio communis est, utrumque obligari pro parte rata & æqualiter; cùm utriusque constet de delicto; dubitent autem de excusatione. Sic *Vasq. Turrianus, Salas, & alii apud Dian. sapè cit. resol. 31.* Verum mihi probabilissima visa est sententia aliorum, neutrum obligari ad quidquam;

nam

nam licet constet de delicto, non tamen confit  
sed dubium est, quisnam obligationem contra  
rit, ideoque melior est conditio utriusque pa-  
dentis res suas. Adde; quod neuter infantide  
num instulecit, sed potius alteruter magnum  
num præstiterit; cum melius sit esse, quam  
esse. Alia est ratio de duobus adulteris respon-  
mariti, qui natam ex adulterio prolem alere co-  
tur. Ita præter alios fusè Lugo rom. 1. de ju-  
disp. 13. sçt. 2. n. 20. Opposita tamen senten-  
ciamque obligans ad partem est communio-  
certè in praxi tutior. Vide Bardii discept. 6. c. 9.  
21. Similiter in Concilio per suffragia secreta  
clusa est res injusta, in damnum Reipublica-  
privatae personæ; dubito ego, an meum ven-  
tuerit ex primis majoribus sufficientibus, an re-  
ex posterioribus post damnum suffragiis suffici-  
tibus jam conclusum, teneborne ego restique-  
vel saltem concurrere ad compensationem da-  
ni illati? Affirmat Petrus Navar. l. 2. c. 4. n. 31.  
quod rursus certum sit delictum & restitu-  
debitum, dubia verò excusatio. Sed æquè pro-  
biliter negant *Rebellus Gordonus*, eosque cui  
*Dian. resol.* 36. eò quod sit dubia obligatio, id  
melior conditio possidentis: utraque senten-  
probabilis.

IV. Ego nuper colludens Titio ad solutione  
faciendam, per fraudem contra leges lusi, deci-  
ens lucratus sum decem aureos, & insuper da-  
to, an non, si ego fraudem non adhibuisse, si  
lucratus fuisset: ad quid teneor restituendum?

R. te obligari si solùm ad restituendam illam pecuniam, quam per fraudem accepisti, & nihil amplius, scil. aliam pecuniam, quam seclusa suâ fraude alter fortè lucratus fuisset. *Ratio est*: quia in tam certo dubio melior debet esse conditio possidentis. Ita Less. l. 2. de justit. c. 26. dub. 2. Filius, tom. 2. tr. 37. c. 7. n. 103. Salas, Bonac. aliós que citans Diana resol. 75. ubi recte advertit, si aliquis ludens dubitet, an hoc lucrum per fraudem aquisierit, eo dubio perseverantē, debere restituere; quia nemo potest in dubio acquirere, & melior est conditio alterius possidentis ius suum. Plura vide in materia de restitutione, itémque de homicidiis dubiis tract. 4. & 5.

## REGULA TERTIA.

**I**n dubio circa tempus inchoanda obligationis, 86 homo manet in possessione sua libertatis. Contrà. In dubio circa tempus finiendo obligationem, lex manet in possessione obligationis. Ratio Regulae eadem, quæ præcedentium.

## Exempla mixta autriusque Partis.

I. Ipso die jejunii, v. g. Sabbathi vel Vigiliæ, 87 dubitans, an sonuerit hora noctis duodecima, ve- Ici carnibus non potest, donec certior fiat. Certum enim est, legem obligare totâ die naturali usque ad horam noctis duodecimam: de qua dubitatur, nec in dubio præsumitur; ideoque possessio stat ex parte legis. Contrà verò, die præcedente Jejunium, v. g. Feriâ ante Cineres, in multani noctem coenans, & dubitans, an impleta sit hora duodecima, liberè potest pergere comedere, donec certior

certior fiat & sicut & in dubio subsequenti die censere potest, se non violasse jejunium possesso stat pro libertate, cum certum sit, libenter esse homini, comedere carnes totâ illâ die ad initium sequentis, quo certo jure non potest privari per dubium de finito tempore libertatem inchoato tempore abstinentiæ.

II. At quid dicendum de Sacerdote sequenti celebraturo, vel alio communicaturo? Resp. distinctione: In dubio antecedenti, an sona hora duodecima, nec nec, Sacerdos celebratur vel alius communicaturus sequenti die, omnino cessare debet à cibo & potu. Cum in tam præcepto, reventiam tanti Sacramenti consistente, tutior pars eligenda sit: *Sanchez l. 2. Matrim. disp. 41. Laym. alit.* At verò in dubio subsequenti, an hâc nocte horam duodecim excesseris edendo, vel bibendo, probabile res censem *Layman n. 36.* Sacerdotem posse embrare, vel alium communicare, etiam ex voluntaria devotione (quod si enim urget necessitas cii implendi, vel scandali vitandi, res certa Eadémque est ratio, si celebraturus vel communicaturus dubitet, an os eluens, vel aliquid manans, aliquid aquæ vel succi demiserit: Quia Ecclesiastica de jejunè communicaturis serva non videtur tam arctè constringere conscientiam in dubio præsertim facti, quod alias non prominutur. Omnipotens probabiliter. Magis probanter adhuc resolvunt *Sanch. uterque*, aliisque *Diana ibid. rejol. 19.* Quando sunt di-

horologia in aliquo loco, & unum jam sonuit duo. decimam, aliud verò non, eum, qui post sonitum primi horologii ante sonitum alterius comedit & babit, posse sequenti die communicare, vel celebrare; dummodò constet, aliud horologium sonuisse primò post eum, vel potum completum.

*Ratio est:* Quia ejusmodi diversa horologia habent se sicut duæ opinione probables, quarum utramlibet licet amplecti in praxi & alias secundum jura in odiosis potest ad ultimum appellari.

III. Juvenis post diligentem inquisitionem dubitans, utrum expleverit annum etatis vigesimum primum, à quo incipit obligari jejunio, manet in possessione libertatis, nec est adstringendus legi jejunii: cum certa sit ejus libertas usque ad illum annum expletum, expletio autem incerta. Contrà senex dubitans, an expleverit annum sexagesimum, manet adstrictus lege jejunii, cuius obligatio certa est, dubia autem liberatio. Item dubitans, an habeat annos requisitos ad sacros Ordines fulciendos, v. g. vigesimum quartum completum pro Sacerdotio, interim abstinere debet: quia possessio stat pro lege Canonica certo prohibente ante expletos illos annos ordinari; expletio autem incerta & dubia facta non præsumitur. Item, si moriatur Canonicus, aliisve Beneficiatus ultimâ nocte mensis Episcopalis, in dubio, an ante vel post medium noctis decesserit, Provisio beneficii spectabit ad Episcopum, quia possidet mensis Episcopalis. Oppositum consequenter dicendum esset, si similiter moriretur ultimâ nocte mensis

Papa-

Papalis. Nisi putas, Pontificem nolle ad ejusmodum fiter dubia extendi reservationem suam contra ius consponere, mune concedens Episcopo conferre omnia beneficia suæ Dioecesis, & sic adhuc Episcopum per rūm confesse. Ita sentire videntur graves Authores satis apud Bardi discept. 6. c. 6. §. 11.

IV. Denique, in dubio ætatis sufficientia requiritæ ad contrahendam obligationem, septennii completi, vel pubertatis, per se quidem præsumitur ætas minor, quæ prior est: at post factum, quando nimis constat votum missum, sed dubitatur, an ante vel post septennium impletum; aut constat, contractum bonâ fidem, dubitatur autem, an ante vel post annos ceptum, quisitos impletos, omnino standum est pro vel contractu: Quia semper præsumendum pro valore actus potius, quam pro nullitate: *communi Sanchez. l. 4. Moral. c. 1. num. 11.* Quanquam quoad votum aliquai contrasentientia & probabile puto, quando dubitatur de ætate simul de deliberatione sufficienti; tunc enim rationabiliter dubitatur de aliquo constitiente. *Quintiam voti in tam tenera ætate non facile probando. Castropal. cum Tambur. l. 1. c. 3. §. 1. &c.* *ætas. n. 7.* Denique jam suprà indicatum est, quod dubitatur, an pueri habeant usum rationis, sumendi sunt habere, si septennium certò ex verint; Secundus, si nondum expleverunt. Atque certò constet, puerum ante septennium expletum, vere habere usum rationis, & esse doli capax, tenebitur tempore debito abstinere à carnis al.

fiteri, & alia hujusmodi &c. Affirmative re-  
spondet Laym. lib. 5. tratt. 6. c. 5. num. 6. alii  
que communiter loquendo de confessione puer-  
um por-  
rum. Omnipotens probabilius, & tertiis. At certe  
satis probabiliter negat Joan. Sanch. apud Dian.  
cit. resol. 52. hanc notabilis resolutione: quamvis  
ante septennium puer doli capax sit. nullo precepto  
positivo obligari reor, cum leges positiva ante illam  
atatem, in qua communiter lumen rationis oritur  
est solitum, non intendant obligare: & per acci-  
dens contingat in uno vel altero puerorum usum ratio-  
nis accelerari: in quo absq[ue] discordia puto con-  
sentire Doctores. Ita Sanch. Certe in ultimo de-  
ceptus: quem tamen sequitur Castropal. aliique  
Recentiores.

### Regula Quarta:

**I**N dubio de modo obligationis contractae; vel so- 88  
lutionis facte; consideratis omnibus & nullo ob-  
ligato stante, presumendum est id, quod dubitanti fa-  
torib[us] min[us] onerosum est. Ratio est:  
Quia favores ampliandi, odia restringenda sunt.  
Et: nemo in dubio presumitur se velle gravare,  
&c.

### Exempla de modo obligationis contractae, maxime in Votis.

I. Universaliter, quandocunque possessio non g 89  
est pro verbis voti, tenetur votens in dubio ad id,  
quod minus eit, ut probat bene Sanch. l. 4. Mo-  
ral. c. 16. n. 86. Et hinc qui votet aliquid, &  
THEOL. MORAL. PARIS I. I dubia

ignorat, an sub mortali, vel veniali tantum  
gare se voluerit, idque neque ex vi verborum  
que ex materiæ quantitate, vel parvitate di-  
cari certò possit, judica cum obligari sub ve-  
rantum, vel potius dispensa, ne scrupuli han-  
Item, qui vovit rolarium, dubius, an inter-  
15. decadum, an vero tertiam tantum pa-  
quinque vel sex decadum promiserit, ad ha-  
lum obligatur: quia etiam tertia pars rosæ  
corona sex decadum rosarium Virginis appellat  
& obligatio, cùm sit dubia, strictè interpre-  
est. Suarez tom. 2. l. 4. c. 8. n. 5. Laym.  
tr. 1. c. 5. §. 4. n. 31. Diana resol. 10. alii  
ipso. Addit Sanch. l. 4. Moral. c. 13. n. 1  
quis vovit orationem vel eleemosynam sim-  
ter, satisfacere, si oret unum *Pater & Ave*,  
det unum obolum: In quo exciperem, ni-  
modicum dare nimium dedecet per-  
dantis. Eadēmq; ratione, qui certus est, se en-  
se votum Religionis, sed dubitat invincibiliter  
intenderit Religionem in communi, an vero  
vel illam in particulari, an strictiore, vel au-  
rem? potest ingredi quamlibet: quia possesso  
pro libertate quoad electionem. Insuper si  
bitet, an promiserit solum ingredi, an etiam p-  
teri, non tenetur profiteri, & perseverare in ver-  
gione, sed satisfacit ingrediendo, & probatione club-  
tiveundo: quia votum in dubio obligat, in te-  
quod minus est. Suarez. cit. c. 8. n. 7. Sanch.  
c. 16. n. 8. & alii contra Navarr. l. 3. consil. de cunctate  
num. 2.

II. Qui certus est, se vovisse castitatem, sed immemor verborum suorum seu formulæ vendi, consideratis omnibus verè dubitat, an promiserit castitatem perpetuam, an verò tempore tantum, usque ad tempus opportunum conjugii, potest eligere, quod minus est; & tempore opportuno matrimonium contrahere. Sanch. cit. l. 4. c. 16. an. 16. Idemque est, si dubitet, an promiserit castitatem omnimodam, an verò conjugalem tantum; tenetur ad hanc solum, quæ minor est. Similiter qui certò vovit, non accessum se ad fæminam, non tactum mulierem, &c. aut è contra fæmina, se non admissuram vitum &c. & verè sine dolo dubitet, utrum de accessu fornicatio, & illicito tantum, an verò etiam de conjugali, ac licito accessu intellexerit, non tenetur abstinere à nuptiis, sed potest adhuc matrimonium contrahere, eoque uti: quia rursus possessio stat pro libertate. Sanch. l. 2. de matrim. disp. 41. n. 33. aliusq; citatis Dian. resolut. 10. Bardi discept. 6. c. 1. §. 9. & ita in similibus. In dubiis enim temper potest quis eligere minus, præfertim in voto, quod velut onerosum strictè interpretandum est.

III. Dixi autem: *si immemor verborum suorum &c.* nam quoties vovens est memor suorum verborum exterius, vel interius prolatorum, in dubio judicandum est juxta communem eorum intellectum. Unde si is, qui vovit Deo castitatem, absolutè protulit: *voveo, vel promitto castitatem:* cum hæc verba perpetuitatem quandam importent, omnino obligabitur ad perpetuam, &

omnimodam, ut novit Sanch. lib. 4. Mor. cati  
13. cit. Et ibidem c. 16. n. 114. ad difficilem gate  
sum, quo quis dubitat, an voverit castitatem gat.  
dependenter, vel dependenter à Religione in ris  
dienda, optimè ita resolvit: Si vovens mo est  
verborum in eis expressit & Castitatem, & pos  
gionem, v. g. dicendo: *vovo Deo castitatem* sent  
*vare. & Religionem ingredi*, absolutè cen  
tur castitas promissa principaliter, & per se, & cit.  
independenter à Religione; quia, cum in di Reb  
intentionis vota dijudicanda sint juxta com Sim  
nem verborum senium, hæc pars possidebit in dub  
dubio: si verò sola Religio expressa sit in vo cup  
dubitatem vovens, an voluerit se etiam ad castitatem  
obligare; aut licet memor sit, suæ intenti  
fusie, se etiam obligare ad castitatem, dubita Lay  
tem, an dependenter, vel independenter à mili  
gione, non obligabitur ad castitatem, nisi de sum  
denter à Religione ingredienda; quia nulla a aut  
ret hæc possessio pro voto castitatis, nisi depen  
ter à Religione, cum sola Religio expressa fin  
quando quispiam intendit, se ad utrumque  
cipaliter velle obligare, solet utrumque ex  
mere. Ita verè Sanch. loc. cit.

IV. Qui certus est, se vovisse Ecclesia  
10. mensuras frumenti, vel vini, & duplex  
sura, major & minor in communi usu loci sit;  
bitatur autem, de qua mensura intellexerit:  
tur à vovente, vel hærede solùm mensura ma  
ut expressè habetur c. ex parte. de censibus. I  
que est in simili de nummis v. g. Taleris, val  
tio

catis majoribus, & minoribus, ex voto, vel legato debitibus, ut decernitur L. Nummis. ff. de Legat. Ratio est: quia de minoribus solùm mensuris vel nummis est certitudo; de majoribus autem est dubium: ergo pro illis tantum, non pro his stat possesso, & præsumptio, & hic proprius est sensus Regulæ Juris in 6. in obscuris minimum est sequendum. Docetque communis DD. Sanch. cit. lib. 4. Moral. c. 13. n. 8. Valentia, Azorius, Rebellus, aliisq; citt. Laym. apud. Dian. resol. 48. Similiter, qui vovit, vel legavit calicem Ecclesiæ, dubitat autem, an aureum, vel argenteum, vel cupreum, satisfacit dando argenteum, saltem quoad cuppam, si mos loci ita ferat; quia talis calix est etiam cultui divino sacratus: ita cum aliis Laym. & Dian. citt. Eadémque ratione, qui promisit vinum, vel frumentum Ecclesiæ, aut ad usum Sacrificii, aut pro sustentatione Ministrorum, aut Hospitali, vel Pauperibus; & dubitat de qualitate; satisfacit dando mediocre, vel minus bonum: dummodò juxta morem loci decens, vel aptum sit ad usum intentum. Dian. cit. in fine. Excipe semper, nisi aliunde sit ratio suadens, vel præsumptio mentem voventis, vel promittentis fuisse, obligandi se ad id, quod majus, vel melius est. vide Laym. Plures casus dubios congeram mox infra. n. 91.

Exempla Solutionis factæ.

I. Qui ex pluribus debitibus diversæ rationis, Ti-90  
tio v. g. solvit unum aliquod, vix habet locum

conscientia dubia vel dubitatio, quodnam ex con-  
tribus solutum maneat: constat enim, illud Ver-  
tum prius extingui, quod magis gravat debitu-  
rem; quia quilibet censetur operari, quod si  
tilius est. Hinc debitum solvens in dubio cen-  
trum prius voluisse solvere pro debito oneroso, q[ui] debi-  
gratuito: maturato, quam maturando; liqui-  
quam non liquido; anterius, vel nomine <sup>c. I.</sup> Lay  
prior contracto, quam posterius vel nomine <sup>ad Lay</sup>  
contracto: pro eo, de quo currit interesse, quod  
pro mero mutuo, &c. Quod si tamen si nem-  
partem debiti, pro quo currit interesse, cen-  
don pro interesse satisfacere, non pro capitali, qui nunc  
indemnitatem creditoris ita merito decernit ad I.  
I. ff. de solut.

II. At: quid si debeam tibi centum v. <sup>gran-</sup>  
quocunque titulo justitiæ, sive ex contrac-<sup>testi-</sup>  
<sup>tia,</sup>  
ex delicto, & interim do tibi gratis centum,  
exprimens, imò nihil cogitans de illo debito <sup>set,</sup>  
justitiæ solvendo, eritne per hoc extinctum <sup>dis-</sup>  
debitum justitiæ, & ego liber ab alia solutio- <sup>traç-</sup>  
Affirmant aliqui, quos tacito nomine allegat <sup>con-</sup>  
<sup>mox cit.</sup> & sequitur Tamb. lib. I. Decal. c. 3. han-  
v. solutio. n. 4. Ratio est: Quia semper adeo obli-  
homine voluntas generalis, & implicita satistant  
endi, prout potest per quemcunque actum <sup>l. Prob.</sup>  
quibusvis suis obligationibus, quas habebit  
Idque omnino verum esset in casu, quo Etæ  
bitor præsertim ex delicto fur, usurarius ratio possi-  
biliter præsumit, vel probabiliter sibi persuadet  
quod alter, si rem cognitam haberet, omittit ne

contentus, & debitum libenter remissurus esset.  
Verum hāc præsumptione seclusā per se lo-  
quendo.

III. Verior omnino est Sententia negativa  
communis DD. nimirūm tali modo non extingui-  
so, q' debitum Justitiæ, sed debitorem remanere obli-  
gatum. Ita pluribus allegatis Sanch. l. 1. Moral.  
c. 13. n. 11. Lessius. lib. 2. de Justit. c. 37. n. 11.  
Laym. lib. 3. tr. 2. c. 12. n. 9. Ratio est: Quia  
debitum justitiæ non extinguitur nisi per solutio-  
nem; isto autem modo donatio fit, non solutio-  
donatio autem gratuita, & debitum justitiæ om-  
ni inter se repugnant; sicut indicat Apostolus  
ad Rom. 11. dicens: si autem gratia, jam non ex  
operibus (id est operum merito debita) alioquin  
gratia jam non est gratia, sed debiti solutio, vel  
restitutio. Neque refert, quod debitor ex Justi-  
tia, si sui debiti memor fuisset, gratis non dona-  
set, sed debitum exsolvere voluisse; quia actualis  
dispositio voluntatis, non conditionalis, in con-  
tractibus attendenda est, juxta commune dictum:  
conditionalia nihil ponunt in esse. Limitat tamen  
hanc sententiam Laym. loco cit. his verbis: Nisi  
obligatio restituendi, puta pauperibus, ex Jure  
Ecclesiastico promanet; tunc arbitror,  
probabiliter dici posse eleemosynas, quæ cum tali  
obligatione, quamvis non animo satisfaciendi fa-  
quo etiæ sunt, tamen ad eam extinguendam prodesse  
posse. Exemp. gr. Venit Canonicus ad confessio-  
nem, qui toto anno Canonicum officium recita-  
omne neglexit, & ideo ad pias causas trecentos aureos

restituere deberet; tali obligatione à Confessori significatâ respondet, se, quamvis hujus obligationis immemorem, his diebus statuamantem Ecclesiæ donâsse, quæ trecentis, & aureis æstimetur: puto, quod Confessarius tentus esse possit: tum quia non desunt DD. ita sentiunt, tum quia videtur esse virtutis intentionis omnium dantium eleemosynas satisfaciendas omnibus obligationibus, quas suis peccatis negligentibus contraxerunt; tum denique quies Ecclesiasticae benignè interpretari debent. *Laym.*, approbante *Dian.* & aliis communione. Eadem ratio à fortiori erit in obligationibus aliquid faciendi ex præcepto Ecclesiæ, ex votis pœnitentia injuncta &c. ut si quis ex liberatione viseret Ecclesiam, Sacrum audiret, R̄xilium recitaret, daret Eleemosynam, nullius obligationis memor, & postea primùm recordare esse diem festum, quod eadem voverit, vel confessario imposita sint; jam centebitur per voluntatem generalem satisfecisse. Item, nihil aliud cogitans, eleemosynam centum aureum v. g. per totum annum sparsim pauperi distribuit, si dein advertat, se tantum debuisse de re pauperibus ob aliquam obligationem auctum largiendum non tenebitur. *Sanch.* *alii cit.* Sed de hoc ex professo alibi.

IV. Verum enim vero, ut prædicta nostra doctrina Laymani etiam hoc tempore probamineat, aliâ necessariâ limitatione indiget, unum intelligatur solum de obligatione re

endi pro Horis omissis jam anteā contractā ante  
talem indifferentem solutionem, prout revera se  
intelligere Laym. significat illis verbis: *his diebus*  
*&c.* minimè verò de ejusmodi obligatione pri-  
mū postea contractā: est enim hæc expressa in-  
ter propositiones damnatas ab Alexandro VII.  
Anno 1666. Propositio 33. ita sonans: *Re-  
stitutio fructuum ob omissionem Horarum supple-  
ri potest per quascunque eleemosynas, quas anteā  
Beneficiarii de fructibus sui beneficii fecerit:*  
cujus rationem novissimè optimè dat Nicolaus  
Dubois Regius & primarius Professor Lovanien-  
sis, in examine dictarum propositionum; eò quòd  
eleemosynæ ante omissionem Horarum datae non  
possint habere rationem solutionis, vel compen-  
sationis, quia hæc supponunt, jam contractum esse  
debitum; deinde illæ plerumque effectum suum  
consecutæ sunt, antequam per omissionem Ho-  
rarum contrahatur obligatio, in quam proinde  
non possunt imputari: *Quia tolleretur magna  
ex parte finis Constitutionum Concilii Latera-  
nensis, & Pii V. qui fuit, per obligationem ejus-  
modi constringere negligentes: parùm autem  
constringerentur, si permisum esset, per quas-  
cunque quandocunque factas eleemosynas satis-  
facere futuræ obligationi.* Hæc doctissimus Ni-  
colaus Dubois.

*Dubia miscellanea.*

**J**uxta hactenus latè dicta in materiis odiosis re-  
solvi potest in favorem operantis, vel pro va-  
lore actus. E. gr. I. Superior, quando dubitat,

I 5

an

an causa dispensandi sit justa; nec ne; adhuc di-  
spensare potest, quia declinandum est in clem-  
tiorem partem; idque exigit bonum & suave re-  
gimen Ecclesiæ: esset enim multis scrupulis ei-  
posita potestas dispensandi, si ad solos casus ca-  
tos extenderetur: vix enim unquam Superior,  
**Confessarius** privilegiatus auderet dispensare.  
**Quando dubitatur, an dispensatio impetrata à Pa-**  
pa sit valida, nec ne: aut an causa in dispensa-  
tione, vel gratia petenda tacita, vel falso expressa;  
finalis; ita ut sine illa non concederetur dispensa-  
tio, vel gratia; an vero sit tantum causa impul-  
sa, ita ut sine illa adhuc concederetur dispensa-  
tio vel gratia; licet forte non tam facile, vel non gra-  
tis? &c. præsumendum, dispensationem, &  
gratiam esse validam, & causam illam fuisse im-  
pulsivam tantum: ideoque obtentorem eâ dispe-  
nsatione, vel gratiâ licet uti posse, contra **Baldus**,  
**Molinam**, & alios, probabilissimè docent **Sant**.  
**lib. 8. de matrim. disp. 21. n. 10. Sanctarellus**  
**Granado, Castrop. Portellus noster**, eosque seque-  
**Dian. cit. resolut. 45. & 46.** Ratio est: Quia re  
dubia judicandum est in favorem valoris acti-  
ut potius valeat, quam pereat; quia præsumptio  
prævalet in eo dubio possessioni legis contraria  
& per hoc corruit fundamentum oppositæ fe-  
tentiæ. De dubio, an privilegium aliquod sit re-  
le, vel personale, vide **Dian. cit. resol. 51. 3.**  
dubio, an peccatum, vel casus aliquis sit reservo-  
tus, nec ne, præsumitur non reservatus, &  
potest absolvī à **Confessario** approbato quo-  
cunq;

cunque tanquam non reservatus: quia reservatio est odiosa, ideoque est strictè interpretanda in favorem pœnitentis, & Confessarii. Ita Suarez de Relig. tom. 2. lib. 4. c. 5. n. 15. Sanch. (Sed limitatè) lib. I. Moral. c. 10. Filliuc. tr. 21. c. 4. n. 172. alisque citatis Portellus de dub. Regul. v. casus reserv. n. 7. Dian. p. 4. tr. 3. ref. 4. Contra Armillam, Cordubam, & alios apud Sanch. cit. negativam tenentes, eò quod hæc pars sit tutior, & solius habentis potestatem absolvendi à reservatis sit judicare, an casus sit reservatus, nec ne; Sed ubi hoc scriptum est? 4. Idemque dicendum in dubio, an excommunicatio, vel censura aliqua, privatio, vel inhabilitas sit latæ sententiæ ipso facto incurrienda, an verò sententiæ ferendæ tantum per Judicem? judicandum enim est, esse tantum sententiæ ferendæ; quia odia sunt restringenda. Ita ex communiori Avila, Coninck, Hurt. eosq; secutus Dian. ibid. resol. 16. Denique, qui dubitat, an legitimè sit natus, nisi id evidenter demonstretur, non tenetur sequi sententiam tutiorem, sed potest sequi sententiam mitiorem, præsumendo, le legitimè natum, saltem in materia Justitiae, v.g. quando adeunda est hæreditas: ut probatur ex L. sili. ff. de his, qui sui vel alieni juris sunt. & docet communis DD. Sylv. Turrian. Maleder. Castrop. apud Dian. cit. resol. 6. Sed vide de hoc latius dicta de adulterio, p. 4. de Sacram. c. 2. sect. 4. a. n. 554. Addo adhuc alia dubia specialia majoris momenti; sed pleraque remissivè alibi tractanda.

I. Pec-

## I. Peccatum dubium.

92 **C**elebris controversia est, an peccata dubia g. si dubites : an heri Vesperas omiseris, cogitationi turpi consenseris, ut dubia confida sint? Sed hæc jam fusiūs tradita sunt 3. p. de Sacrament. in materia de Pœnit. cap. 3. quo 2. à num. 385. ubi affirmativam tenui, & amnum teneo, ac omnimodis consulio in pra Ratio sumitur I. Ex ipsa authoritate Docto ranti nominis & multitudinis: Antiquorum omnium, Recentiorum ferè omnium, exceptis paucis loc. cir. recitatis. Ita etiam docent D. Thomas in 4. de 21. q. 2. ad 3. D. Bonaventura in p. 3. art. 2. q. 1. Alenfis p. 4. q. 77. memb. 2. Navarr. c. 9. n. 14. Sotus, Azorius, Suarez Sanchez. l. 1. moral. c. 10. n. 66. Cardin. de Lugo de Pœnitentia disp. 16. sect. 2. §. 3. toto. Et discept. 6. c. 11. p. 4. §. 1. *Alii apud ipsos.* Ex universali omnium fidelium consensu & pri in lege nova, cuius initium ignoratur; Semper enim probis omnibus persuasum fuit, & ab quis tanquam certum suppositum, peccata dubia eo modo, quo in conscientia habentur, necessariò in confessione Sacramentali man standa. Nuper ab uno & altero Authore res ha controversial vocata est; qui contra comm nem sententiam prudenti non possunt fundi practice probabile judicium, nisi ratione evid oppositum demonstretur, quod sanè non sit. No III. Concilium Tridentinum ab Adversariis a

gatum, potius faveat huic sententiæ. Ita enim textus habet. l. c. *Oportet à Pænitentibus omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habent, in confessione recenseri, etiam si occultiissima illa sint. Et post subdit: Nam venialia, quibus à gratia Dei non excludimur, quamvis utiliter in confessione dicantur, taceri tamen circa culpam, multisque aliis remediis expiari possunt.* Quibus verbis Concilium à necessariò confitendis solum excludit peccata venialia, quæ à gratia Dei non excludunt, & ea mortalia, quæ post diligentem sui discussionem memoriarum non occurrunt: ergo peccata mortalia dubia, quæ post diligentem discussionem memoriae occurrunt, secundum Concilium necessariò sunt confitenda. Nam *exclusio unius est alterius inclusio*, ajunt Juristæ. Confirmatur: Concilium à necessariò confitendis excludens venialia, eò quod iis à gratia Dei non excludantur, aperte supponit, omnia necessariò confitenda esse, quibus à gratia Dei excludimur: atqui peccatis mortalibus dubiis, supposito, quod revera facta essent, revera excluderemur à gratia Dei, nihil enim facit ad amicitiam Dei prætens dubitatio de peccato præterito, an fuerit, nee ne: Nam sicut ex eo, quod dubitem, vel certò credam, me peccasse, si revera non peccavi, illud dubium me non excludit à gratia DEI: ita ex eo, quod dubitem vel credam, me non deliquisse, si revera deliqui mortaliter, revera sum exclusus à gratia Dei, non obstante illo dubio, vel judicio subsequenti, quod nul-

nullum potest habere influxum in actionem præteritam: Ergo etiam peccata mortalia dum manent necessariò confitenda. Interim fac semper, etiam negativam esse probabilem, tantum extrinsecè ab authoritate DD. sed etiam intrinsecè à ratione: an etiam satis tuta sit, videntur, qui experiri volunt: rationes in contrasolutas vide. loc. cit. non vacat hīc omnia desuperere.

### II. Maleficiū dubium.

93. **Q**Uæstio est: an liceat adhibere medium quod ad causandum aliquem effectum, g. febrim, vel alium morbum curandum, quando dubitatur, an medium illud sit naturale vel superstitionis, seu, an effectus talis fiat à causa naturali vel à dæmone? **R**. breviter cum distincta, quia media illa adhibita sunt res naturales, utpote lumbæ, radices, lapides, in dubio præsumi potest causare effectum naturaliter, & sic licet adhibitum cum protestatione contraria nolendi disertum, si non naturaliter, sed à dæmone causatum: quando autem media illa sunt res artificiales signa, preces, caræcteres, funis, è quo fūt spensus fuit, &c. regulariter præsumendum est esse superstitiosa, non nisi dæmonis operatione pacto saltem implicito efficacia, ideoque iis utilitatem simpliciter erit; quemadmodum & illud semper est, petere à mago. vel sagatore nem maleficii, quando dubitatur, an possit solvere novō maleficio. Ita communis DD. in h

materia: juvat interim audire Sanch. lib. 2. Moral.  
¶ 40. n. 44. si dubium est, an effectus à causa na-  
turali proveniat, èò, quòd non constet, an vires  
naturalis causæ excedat, nec ne, censendum est  
potius, eum à causa naturali provenire; quia, cùm  
innumeræ agentium naturalium vires nos lateant,  
non est, cur ex eo, quòd virtus illa nobis dubia  
sit, effectum illum causæ naturali negemus, ne-  
que absque necessitate confugiendum est ad oc-  
cultam mali angeli operationem. Si autem con-  
stet, effectum illum vires causæ naturalis excede-  
re ( ut si scheda appendatur collo contra febrim,  
pestem &c. ) existimo, nisi maxima operantis  
sanctitas, & alia urgentissima indicia suadeant,  
eum à DEO provenire, censendum esse in dubio  
superstitiosum, & à dæmonе provenire, etiamsi  
verba adhibita sint sacra; quia quotiescumque cau-  
sa adhibita nequit effectū naturaliter producere,  
est superstitionis, & ad tacitum cum dæmonе  
pactum pertinet. Ita omnino Sanch. At quid  
de nostris ( ut vocamus ) Flagellis dæmonum,  
Brevibus &c. ? nam & ipsa ab aliquo Juniore Scri-  
ptore superstitionis annumerari audivi. Certum  
est, illa quemadmodum & alias res ab Ecclesia  
benedictas, licet adhiberi contra infestationes  
dæmonum, & maleficia avertenda, vel impedien-  
da; at verò quando adhibentur ad curandos  
morbos hominum, vel animalium defacto con-  
tractos per modum causæ operantis cum certa spe  
effectus, certissimum est, esse superstitionis:  
unde enim illa virtus, vel effectus? non à materia  
ut

ut clarum est; non ab ipso Deo, vel Angelo: ubi enim Promissio, Bulla, vel Diploma? erga dæmone. Secus dicendum, & saltem tolerandum si adhibeantur contra morbos solum per modum causæ impetratoriæ, ut ab ipso Deo eff. clausi intuitu Sacrarum Reliquiarum, & rerum ab Ecclesia benedictarum, ibi commixtarum, cum in pia spe, & fiducia in ipso Deo, Sanctorum & Ecclesiæ meritis: dico, *saltem tolerandum esse: nunc certè consulendum non est, sed potius dissuadendum ob gravissimum periculum superstitionis*

### III. Bellum dubium.

**94** Quando causa belli dubia est & controversia v. g. de Jure vel Proprietate Regni, Provinciæ, Civitatis, vel alterius Juris post diligentem inquisitionem, & consultationem dubio per verante, refert, an altera pars bonâ fide hacten posse derit, nec ne si sic bello justo locus esse possit; nam dubium superveniens non nocet bonæ fidei possessori, neque cogi potest possessionem restituendam, priusquam manifestum factum alienam: quare, si eo casu bello iniquo impetratur possessor, istanquam vim passus in iustitia non modò justo bello defensivo se defendere, rem ablatam sibi vendicare, verum etiam bellum offensivo injuriam illatam vindicare poterit. Recte probat Victoria apud Laym. mox cit. Quod si vero neutra pars litigans rem bonâ fide possidit, tunc unus alterum cogere potest, ut vel munus possent arbitri constituantur, vel res inter partes

dividatur per transactionem, juxta proportionem dubii Juris, quod cuique competere videtur: quod si justae huic petitioni alter satisfacere renuat, jam iustus esse incipit, ideoque bello peti poterit. Quod si tandem ob rationes utrinque occurrentes utraque pars suam causam justam esse certò existimet, necesse quidem tunc est alteram partem decipi, si enim invincibilis error sit, & non ex pravō affectu ortus; tunc quandoque fieri potest, ut bellum ex utraque parte sit justum formaliter, himirum per accidens propter errorem, vel ignorantiā invincibilem alterius partis, ita pluribus allegatis Laym. lib. 1. tr. 1. c. 5. §. 2. à n. 25. & nos latius in materia de homicidio, ubi etiam de militibus in tali dubio militantibus. Vide etiam Dian. p. 4. tr. 2. resol. 7. & 50.

#### IV. Subditus dubitans.

Quadruplex hic potest esse dubium: duplex<sup>95</sup> ex parte Superioris, & iterum duplex ex parte Subditi. *Ex parte Superioris.* I. Quando est dubium de ipsa Jurisdictione Superioris præcipientis, an nimurum præcipiens sit verus, & legitimus Superior, nec ne? siquidem præcipiens sit in possessione sui officij, vel dignitatis, manet melior conditio possidentis, & est præsumptio pro Superiore: ideoque subditus obedire tenebitur. Ex coenuni Sanch. lib. 6. Moral. c. 3. n. 29. Laym. aliquique citati. *Ratio est:* Quia cum is in possessione prælationis sit, non potest ob solum dubium certa possessione spoliari denegando ei THEOL. MORAL. PAR. I. K obe-

obedientiam, donec certus sit defectus; etiam  
trarium non improbabiliter doceant *Vulg. & l.  
las apud Dian.* resol. 8. consentientem, nimirum  
subditum eo casu non teneri obedire. Ratione  
Quia subditus tunc tantum habet obligationem  
obediendi Prælato, quando Prælatus habet ius  
potestatem certam præcipiendi: sed in nostro  
*Si* est dubium de ejus potestate legitima: ergo  
Verum ego priori communi sententiæ omni  
adhæreo, præsertim ob gravissima inconvenien-  
tia ex præcepti contrariæ sententiæ oritura, ut quivis  
cile computabit. Denique si præcipiens non  
in possessione suæ prælationis, & officii,  
que denegari poterit ei possessio, & obedientia:  
nec de iegitima electione, vel confirmatione  
staret; alioquin eo casu, perseverante post de-  
tam inquisitionem dubio, manebit possessio  
libertate subditi, qui proinde obedire non ten-  
bitur. II. Quando constat de Jurisdictione Su-  
rioris præcipientis, & solum dubitatur, an  
Jurisdictionis vel potestas ad talem casum vel me-  
riam se extendat, iterum manet possessio ex parte  
Superioris præcipientis, & præcepti: ideo  
subditus obedire tenebitur, secundum omnium  
Ratio est eadem: Quia nimirum certa est potestas  
& præceptum, excusatio vero dubia: & multo  
longiora sequentur inconvenientia in quovis regno  
ne, si in tali dubio, satis frequenter occurrat. Molli-  
ceret subdito non obedire. Excipe tamen ex par-  
tum, quo subditus ita dubitans timeret, obediem  
sibi, vel tertio aliquid magnum in vita, fama, & præ-

nore, vel rebus eventurum, ut si v. g. Superior præceptivè interrogaret subditum de proprio, vel alterius delicto, & esset dubium, an juridicè ita interrogari possit, tunc enim subditus non teneatur illi obedire verum fatendo. Ita *Lessius l. 2.c.*

*4. dub. 9. Vasq. Henrig. Medina apud Dian. cit. resol. 9.* Ratio est: tum quia in dubio favendum est Reo: tum quia licet subditus non sit in possessione libertatis, est tamen in possessione suæ securitatis, & Juris naturalis, quo potest se & alium à damnis & periculis conservare; contraria autem obligatio dubia est. Eademque ratione, contra *Less. lib. 2. c. 33. dub. 8.* cum aliis probabilissimè resolvit Molina: *om. 3. tr. 2. disp. 674. n. 7.* quando tributa sunt nova, & non constat de eorum Justitia, non deberi à subditis in conscientia, sed posse defraudari, modò perjuria & mendacia non interveniant: immò denegari posse celsante scandalo. *Ratio est:* Quia in dubio melior est conditio populi possidentis, etsi non libertatem, attamen pecunias, & res suas, & omnia ista nova tributa præsumuntur injusta, quando de contrario non constat: unde *c. quamquam de censibus in 6. diciatur*: tributa regulariter esse contra Jura, tum *Canonica*, tum *Civilia*. Et *c. pervenit de censibus aic* Pontifex: *Necesse est sciire prius causam, propter quam census fit solvendus, quam solvatur.* Sic Molina. Itémque alij apud *Dian. resol. 39.* & nos ex professo in *7. præcepto.* *Ex parte Subdit.* III. Quando est dubium speculativum, utrum res præcepta secundum se sit licita, nec ne? rursus ma-

net possessio ex parte Superioris & præcepti, subditus tenebitur, conformando suam contumam practicè præcepto Superioris obedire: certum sit posse eum præcipere, incertum & dubium, an hic & nunc non recta præcipit. Unde in dubio, an bellum sit justum, nec neditus semper potest: & jubente Principe etiam netur militare: Quia judicium de justitia, vel justitia belli, non spectat ad subditum, sed ad Principem, vel Rempublicam, pro cuius præjusta causa meritò præsumere, & conscientiam suam practicè conformare potest, & debet subditus. Externus verò & liber non potest tunc militare, nisi judicet saltem præsumptive & trinsecè probabilem & iustum esse causam belli. Communis DD. apud citatos & nos in materia homicidio. Excipe rursus, nisi & ipse Superior dubitet de honestate actionis, quam præcipit de excessu suæ potestatis in præcipiendo: enim subditus id sciens, & similiter dubitanus tenebitur obedire, quia tunc Superior temeriter præciperet, siveque, & subditum obedientem periculo peccati exponeret: ergo &c. Ita contrarium aliis *Castropal. apud Dian. cit. resol. 9* IV. Quando est dubium practicum, utrum subditus non possit obedire Superiori præcipienti in alia materia, certum est apud omnes, stante tali dubio subditum non posse obedire: quia exponeretur illud dubium deponere, ita distinguendum. Quod si Superior sit vir doctus & prudens, ita

tus tenebitur dubium deponere & obedire simpli-  
citer, præsumendo, quod Superior rem melius  
perpenderit. Quodsi verò Superior sit indoctus &  
imprudens, temerè solens effutire præcepta, tunc  
lubditus, vel per seipsum inquirendo veritatem,  
aut viros doctos consulendo, debebit se extricare  
à dubietate. Quodsi in casu urgenti neque hoc  
iustum fieri possit, dummodò non cognoscat mani-  
festè esse peccatum, debebit deposito dubio, Su-  
periori obedire ob sèpè dictam rationem.

## ASSESSOR XIII.

**I**N omnibus legibus pœnaliibus etiam censurarū<sup>96</sup>  
& irregularitatum, non tantum in dubio juris,  
quando dubitatur, an pro tali factō vel casu ali-  
qua pœna, censura, irregularitas quacunque lege  
decreta sit: ubi universaliter vera est Regula pri-  
ma tradita suprà n. 80. sed etiam in dubio facti,  
quando scilicet verè dubitatur, an quis commise-  
rit tale factum, propter quod constat, decretam es-  
se pœnam, censuram, irregularitatem, nemo cen-  
setur ligatus, excepta sola irregularitate ex de-  
lictio homicidii voluntarii. Communior jam, &  
secura sententia. Suarez de censuris disp. 40. Sect.  
1. & 6. Sanch. l. I. Moral. c. 10. latissime. Filliuc.  
Tract. 21. c. 4. Laym. hic s. §. 4. n. 39. Bard. di-  
scept. 6. c. 7. §. 2. alii apud ipsas.

## §. I.

**R**atio assertionis est. I. Quia in dubio factum  
non præsumitur: & specialiter: *Nemo in*  
*dubiis præsumitur delinquisse. L. merito. ff. prosoc.*

K 3

Ergo

Ergo delictum aliquod facto vel eventu compfit  
ris  
lari  
exte  
casu  
in b  
cidtum esse, indéque consequens poena, non prmi, sed demonstrari debet. II. Leges pœnalicensuræ tantum ferunt delictum simpliciter: delictum dubium non est delictum simpliciter ergo, &c. III. Omnia jura clamant: *Reum dubium esse absolvendum; In dubio neminem condamnandum; In pœnis benignorem interpretationem ciendam; Odia restringi, favores ampliaris tere, &c.* Quæ sicut in aliis legibus pœnaliguin  
obl  
Cle  
cuss  
fort  
henebus foro externo, ita tanè etiam in censuris ac in laritatibus ex delicto. Nisi jura aliud exprimantur & foro conscientiæ, locum habere debent: si enim Judex neminem punire debet, sed absolvere, si delictum, ob quod juris pœna decreta est, minùs in foro conscientiæ aliquis se ipsum condemnare & pœnam in se exequi cogitur: v.g. itinere à Sacris tanquam excommunicatus, spensus, irregularis, donec delictum certum & ploratum sit. IV. Specialiter: Non est statuenda regularitas, nisi in casibus à jure expressis. *qui, De sententia Excommunicationis in 6. quod in dubio facti aliquis irregularis censetur de solo homicidio voluntario in jure expresso est, locis citandis num. seq. 98. quando nimis constat, & Clericum percussisse, & percusso mortuum esse; sed NB. c. significasti de Homicidio: Si discerni non possit, ex cuius iactu percussione interiit; IN HOC DUBIO. tanquam hominida debet haberi, cum IN HOC CASU*

fit tertiū, quam temerè celebrare, ergo particula-  
ris illa decisio, quod in dubbio homicidii irregu-  
laritas præsumatur, cum odiosa sit, non debet  
extendi ad alios casus, sicut nec debet extendi ad  
casum dubium mutilationis, vel homicidii justi,  
in bello v.g. Quia Pontifices loquuntur de homi-  
cadio simpliciter, & prohibito.

§. II.

Exempla.

Cognitā quācunque lege pœnali contra adul-  
terium, incestum, sacrilegium, &c. quam-  
diu verum dubbium est, an commiseris, utpote quia  
nescis, an persona complex fuerit ligata, consan-  
guinea, sacra, in neutro foro, interno, & externo,  
obligari poteris. II. Verē dubitans, an homo ille  
Clericus sit, quem percussisti, quamvis temerè per-  
cussis, non sine suspicione vel formidine, esse  
forte Clericum, si tamen postea veritatem depre-  
hendere non possis, non debes te excommunica-  
tum reputare. Quia licet constet de facto percus-  
sionis, non tamen constat de percussione Clerici,  
quæ sola punitur excommunicatione. Can. si quis  
suadente. III. Similiter ratione: si quis etiam teme-  
re & malā fide sacram Ordinem suscepit dubitans,  
v.g. utrum ætatem requisitam habeat; an legití-  
mè natus sit; an uxor unica virgo accesserit, si po-  
stea veritatem deprehendere non possit, non est  
censendus irregularis, vel suspensionis censuram  
incurrisse: quamvis sic temerè suscipiens peccâ-  
ti, & perseverante dubbio, nisi necessitas urgeat, à

Iacro ministerio abstinere debeat, donec certiat v.g. de ætate legitima, quamdiu scil. certior fieri posse spes est. *Ex communi Layman citat.*  
**4. num. 38.** IV. Contrà verò: si constet quipiam excommunicatum, suspensum, irregulari fuisse, dubitet autem, utrùm absolutus, vel dispensatus sit, abstinere tenetur: Quia possessio facta parte legis, & absolutio, vel dispensatio facta dubio non præsumitur, juxta Regulam prim. & secundam. **num 79. & seq.** *Sanch. Layman cc. ex Abbate in c. proposuit. de Cleric.* *Ex mun.* ubi dicit: *Semel excommunicatus, semper præsumitur excommunicatus.* Nam qualitas sita, qua ex solo cursu temporis non tollitur, sumitur existere, donec probetur sublata.

## §. III.

*Assertionis Exceptio.*

**98** **I**N sola ergo dubio commissi homicidii luntarii, dubitans habetur irregularis, idque speciali constitutione Pontificum, ob speciale deformitatem & indecentiam, si postea inscriter, homicidam ad sacri Ordinis ministerii accessisse. Habetur in jure Canonico *Tit. de homicidio*, diversis locis *l. 1. ad audientiam*. *Procasu de Presbytero*, qui famulum cingulo pertiens, cultro è cingulo pendente vulneravit, et postea superveniente morbo obiit; dubitamus autem, utrùm mors ex vulnere, an vero ex morbo tantum secuta sit, & ideo Presbyter sit habens irregularis? responderet Pontifex, quod

nisi appareat, illum aliâ infirmatione obiisse. *Quia sententia tutior in dubiis est eligenda.* II. c. signifi-  
cisti. Posito simili casu de Presbytero, qui furem  
ornamenta Ecclesiæ auferentem ligone percussit,  
postea à supervenientibus parochianis cum gla-  
diis & fustibus penitus occisum. Hinc orto dubio  
utrum ex sola percussione Parochianorum, an ve-  
rò ipsius Parochi obierit, idéoque Sacerdos esset  
cenfendus irregularis? respondet Pontifex, quod  
sic: cum certum sit de vulnere à Parocco inflicto,  
rationem addens: *Cum in hoc casu cessare sit  
timor, quam temerè celebrare, pro eo, quod in  
altero nullum, in reliquo vero magnum pericu-  
lum timeatur.* III. c. petitio tua. Proponit Cleri-  
cus casum: se cum cæteris Clericis & Laicis oc-  
currisse irruentibus hostibus Crucis Christi, &  
aliquos percussisse, sed dubitare, an aliquos occi-  
derit, & an irregularis sit? respondet Pontifex:  
*Si de interfectione cuiusquam illum sua conscientia  
temordeat, à ministerio Altaris abstineat, cum sit  
consultius in illo dubio abstinere: quam temerè  
ministrare.* IV. Consimiles casus certæ irregulari-  
tatis esse possunt: Aliquis applicavit caulam ad  
abortum fœtus jam animati, effectu, ac vero ho-  
micio secuto, postea dubitat, an causa illa à se  
applicata fuerit sufficiens vel efficax ad abortum  
causandum, an vero causatus fuerit vi alterius cau-  
fæ, v. g. compressione prægnantis. Item Titius ve-  
nenum porrexit cuidam, ut interiret, & eo inscio,  
eidem ab alio efficacius venenum propinatum  
fuit, quo accepto, paucis post diebus mortuus est:

K 5

dubi-

dubitat ergo Titius, an venenum suum etiam  
cax fuerit ad mortem, nec ne, an potius alter  
venenum solum mortem causarit: Item Ti  
alteri consilium dedit ad occidendum Caju  
homicidio patrato, comperit Titius, ipsum o  
forem gessisse capitales inimicitas cum Cajo;  
bitat ergo, an homicidium secutum fuerit vi  
consilii, an potius vi solius privatæ alterius inim  
icitæ &c. In his & similibus casibus, dubita  
habendus erit irregularis in utroque foro: omni  
enim ejusmodi casus manifestè comprehendi  
tur sub allegatis Canonibus, ut intuenti & app  
eanti patet: uti ex communi notat Bardus, cap.  
6. c. 7. §. 5. & 8.

## §. IV.

## Exceptionis Limitatio.

**99** Exceptio vera esse debet, quandoconque  
constat de corpore delicti seu homicidiu  
cti, & aliquâ suâ cooperatione: quando nimirum  
certum est, hominem esse occisum occasione talis  
actionis, dubitat autem, an sua actio fuerit effici  
vel sufficiens ad causandum homicidium, fort  
etiam aliunde, seclusâ suâ actione, secutur, talis  
dubitans irregularis omnino habendus est, & in  
terim à Sacris abstinere debet. *Communis Delict  
rum apud Layman. citat. §. 4. a num. 30. Bardus  
§. 3.* Nam de ejusmodi casibus expresse tantum  
loquuntur Canones allegati: semper enim sup  
ponitur homicidium factum fuisse, & solum de  
bitabatur, utrum Clerici illi sufficienter, vel effi

etiam  
us alter  
em. Ti  
Cajun  
sum ou  
Cajo; o  
erit vi  
ius imm  
dubita  
o: omni  
ehendit  
& app  
i, discep  
locunqu  
cidiis in  
nimina  
sione fa  
it effici  
n, for  
um, 12  
t, & is  
s Dossi  
ardi et  
tantum  
im sup  
lum de  
vel effi  
caci  
eaciter cooperati sint ad homicidium. Idemque est  
in aliis casibus *ibidem num. precedenti subjectis.*  
Contra vero, quando non constat, sed vere dubi-  
tatur de ipso *corpo delicti*, seu an homicidium  
revera secutum sit, et si constet de causa aliqua ap-  
plicata: v. g. scit aliquis, le percussisse, explosisse in  
hostem, venenum alicui applicasse, &c. dubitat  
autem, an aliquis inde mortuus sit: scit quispiam,  
se causam applicasse, consilium dedisse, aut aliter  
induxisse efficaciter foemina ad abortum facien-  
dum; dubitat autem, an abortus secutus sit: vel  
si constet abortum esse factum, dubitatur, an fœ-  
tus fuerit animatus, ideoque homicidium patra-  
tum, nec ne: debet quidem omnem possibilem  
diligentiam adhibere ad cognoscendam verita-  
tem, interim abstinendo a Sacris, quantum potest:  
quod si vero frustra adhibita diligentia dubium  
invincibile perseveret (quamvis adhuc præsum-  
ptionem juris esse pro irregularitate deceat com-  
munior & tutior sententia *Soti, Navarri, San-*  
*chez, &c.*) probabilem tamen & tutam puto sen-  
tentiam ferè communem Recentiorum apud Dia-  
nam. p. 7. tr. 5. resol. 24. Bardi cit. §. 4. Tam-  
burin, cit. §. 7. v. *irregularitas n. 2.* Nimirum ta-  
lem invincibiliter dubitantem, post debitam in-  
quisitionem eximendum esse à poena irregulari-  
tatis. *Ratio est:* Quia odiosa restringi convenit,  
non ampliari: atqui Canones allegati omnes (ex  
quorum constitutione præcisè inducitur irregu-  
laritas in dubio homicidii) loquuntur solum in  
casu, quando constat de corpore delicti, seu homi-  
cidii

cidii patrati , & solum de cooperationis sufficie  
tia dubitatur: ergo non sunt extendendi ad calu  
quo de ipso corpore delicti , seu homicidio se  
ambigitur,

## SECTIO V.

### *De Conscientia scrupulosa.*

#### SUMMARIUM.

100. Conscientia scrupulosa, seu scrupulus definitur.
101. Quod sit, inaniratione nixa
102. Apprehensio ( proprie loquendo )
103. Indeque natus timor, & anxietas mentis,
104. Alicubi peccatum esse, vel fuisse, ubi revera nimis
105. Contra scrupulum propriè dictum, quib[us] potest, ut  
p[er] tenetur operari immediate & directe.
106. Contra scrupulum verò latè sumptum mediata tam
107. Remedium generale, & efficax contra scrupulos.
108. Obiectio seu scrupulus generatis scrupulosorum.

#### A S S E R T I O XIV.

100. **C**Onscientia scrupulosa , seu Scrupulus ( dictus, quod instar scrupuli, seu lapilli calci inclusi , pedemque vexantis , animo infidei eum vexet & agitet ) est inaniratione nixa apprehensio, indeque natus timor & anxietas mentis allicubi peccatum esse vel fuisse, ubi reveram est. Ex comuni DD. Voce tantum differunt, res coincidunt diversæ aliorum definitiones: Utpotius S. Antonini p. I, tit. 3. c. 10. §. 9. Est qualis vacillatio cum formidine ex æbilibus conjectura &c. Vasq. hisc. disp. 67. c. 2. Est levem quando suspicionem seu existimationem ex levibus orationibus, seu fundamentis. Marchant. Tract. I. tract. 5. Tit. 6. q. 1. Est anxietas & timor.

mentis conscientiam torquens & turbatam red-  
dens ex levibus, & incertis conjecturis. Clarius  
& expeditior est nostra definitio, cuius breviter  
hæc esto *Explicatio*

§. I.

**E**s inani ratione nixa, seu ut alii loquuntur:  
<sup>101</sup> ex debilibus, levibus, incertis conjecturis, ra-  
tionibus, fundamentis: Ex quo capite tripliciter  
potest fieri scrupulus. I. Cum judicio determina-  
to aliquid esse peccatum, quod revera non est.  
Quod judicium falsum, quatenus ex inani mo-  
tivo procedit, animumque affligit, & anxiat, po-  
test sanè dici scrupulus, vel conscientia scrupu-  
lofa, latè loquendo: propriè verò est conscientia  
erronea vincibilis, uti adverit etiam S. Ignatius in  
fine libelli Exercitiorum de Scrupulis II. Potest  
fieri scrupulus cum vero dubio pratico, sitne hoc  
peccatum, nec ne, ex inani motivo, suspicando  
fortè esse peccatum, absque ullo determinato ju-  
dicio, quod sit, vel non sit peccatum. Et sic rursus  
est scrupulus latè sumptus, propriè autem est du-  
biuum, vel conscientia dubia. III. Et propriè, sit  
scrapulus, cùm, habito vel sufficienter proposito  
judicio determinato, aliquid non esse peccatum,  
solà ex levi motivo apprehensione peccati mens  
anxiatur & timet, fortè esse peccatum. Et hinc  
dicitur.

§. II.

**I**nani ratione nixa apprehensio. Scrupulus enim  
<sup>102</sup> vel conscientia scrupulosa propriè dicenda est,  
quando intellectus neque determinatè judicat:  
neque

neque dubitat practicè aliquid esse peccatum: potius habito judicio non esse peccatum, apprehensione, vel suspicione mali ex inanimato, titubat, fluctuat, anxiè formidat esse vel fu-  
peccatum, v. g. forte se consensisse tali suggestio-  
&c. Ut bene advertit Greg. de Valentia l. 2.  
q. 14. p. 4. dicens: Etsi scrupulus nonne-  
quam accipiatur tam pro dubitatione de malum  
quām pro opinione, quod aliquid sit malum:  
men propriè conscientiam scrupulosam nihil ali-  
esse, quām anxiā quandam formidinem, ne-  
tē id ipsum sit malum, quod tamen licitum e-  
stimatur. Ratio sumenda est ex communī affini-  
tione hominum, scrupulum propriè ita intelligi-  
tium. Unde rectè notat Layman hic c. 6. n. 1. *Ja-*  
*ceum hominis vere scrupulosi esse, si contra sapi-*  
*tium, immo & proprium judicium, tale quidpiam*  
*gere peccatum non esse, nihilominus inquietum.*  
Solā scil. apprehensione mali timens, & formi-  
dans, ne forte peccet, aut peccārit. Unde scrupu-  
losi plerūmque in aliena causa rectè judicare  
lent sine formidine, & alios absolvere a peccati-  
at verò, si idem casus ipsis eveniat, statim for-  
mare incipiunt peccatum subesse. Et jam hinc  
tere tibi debet differentia conscientiæ scrupuli  
ab aliis conscientiis hactenus explicatis.

## §. III.

103 **I**ndéque natus meus, seu anxietas mea  
Quamvis enim, secundūm omnes conscientias  
scrupulosa, seu scrupulus formaliter & prin-  
cipaliter consistat in actu intellectu modo ex-

cato, non tamen in eo sistit, sed completem consitit in tali intellectu apprehensione, suspicione, vacillatione, seu titubatione alicubi peccatum esse, quatenus simul in voluntate causat, & conjunctionem habet metum, formidinem, anxietatem, &c, de eodem peccato. Unde scrupulus adæquate sumptus, spectat ad utramque potentiam, intellectum scil. & voluntatem. Quâ ratione recte intelligitur doctrina verissima Cajetani tom. I. opusc. Tract. 31. Resp. 13. dub. 7. *Scrupulum contingere posse, aliquando ex parte appetitus, ut i.e. venit, quando quis timet in aliquo actu peccare. & ignorat causam: (ex sola nimis præviâ vanâ apprehensione mali, sâpè enim scrupulosus non potest reddere rationem vel motivum timoris & anxietatis suæ.) Aliquando ex parte rationis, cum oritur ex aliqua ratione apprehensa & apparente: inani tamen, levi, futili.*

§. IV.

**A** licubi peccatum esse, vel fuisse, ubi reverâ 104 nihil est. Sicut enim quælibet conscientia, ita & scrupulosa, quamvis principaliter versetur circa actiones hîc & nunc exercendas, tamen, hæc maximè, se extendit ad actiones etiam præteritas: dum scil. inaniter apprehendit, & anxiè metuit, forte se peccâsse, forte suggestioni consensisse, forte alicubi peccatum fuisse, forte peccata præterita nondum remissa esse, etiam post debita adhibita remedia: forte ipsa media doloris, confessionis, non sufficienter adhibita fuisse. Quem actum communiter remorum scrupulorum.

lum.

sum vocant, & plerumque vitiosus est. Sic bona advertit Vasquez. cit. disp. 67. c. 2.n. 8. Sunta qui nimis scrupulosi circa præterita peccata futuri autem cavendis parum solliciti. In quod sensum etiam verissime dixit Sylvester. v. scrupulosus initio. Scrupulosus est duplex. Quidam est scrupulosus in recognoscendis peccatis praetoris, & timoratus in visitandis futuris; & iste niter bene finit. Quidam vero est scrupulosus in cognoscendis præteritis, & in cavendis futuris diligens & effratus; & iste videtur aeternam damnationi propinquus. Hæc ille:

### ASSER TIO XV.

105 **Q**uilibet licet potest, & tenetur sibi rari contra conscientiam scrupulosam scrupulū propriè dictum etiam immediate & recte: mediate vero solum contra scrupulum tē sumptum: nimis de posito potius scrupulo judicio vel dubio practico, & fortinato contrario judicio practico, quod liceat ita operari. Ex communi doctrina Navarr. c. 27. num. 2. Sanch. l. 1. Moral. c. 10. num. 80. Layman c. 6. n. 2. Marchant. cit. q. 2. Sumitur ex c. 1. quæstionis, de sententia Excomm. Ubi, quædam conjux scrupulum habens de validitate Matmonii teneatur abstinere ab ejus usu; respondit ultimus Pontifex: Conscientia levis & temeraria credulitatis explosa, potest non solum redere, sed etiam exigere debitum coningale.

§. I.

*Contra scrupulum propriè dictum immediatè & directè agendum.*

**R**atio patet ex definitione. Conscientia enim <sup>106</sup> scrupulosa seu scrupulus propriè dictus est solum inani ratione nixa apprehensio, indéque natus metus, aliquid esse peccatum, v. g. comedere die festo ante Sacrum auditum: cum quanova apprehensione, & formidine stare potest, imò plerumque de facto stat judicium prudens oppositum, non esse peccatum: atqui rectâ ratione utique potius sequendum est in operatione judicium prudens, quam vana apprehensio contraria: ergo semper licet operamur contra scrupulum propriè dictum, etiam immediatè & directè, nimirum adhuc stantem & quantumlibet remurmantem: imò plerumque scrupulosus tenetur ita contrà operari ad liberandum se à periculis & molestiis scrupulorum, quas ordinariè experuntur scrupulosi; Ut sunt anxietates perpetuæ, tædierum spiritualium, pericula desperationis vel amentiæ, &c.

§. II.

*Contra scrupulum latè sumptum, mediatè tantum agendum.*

**S**crupulus enim latè sumptus, quo nimirum <sup>107</sup> intellectus ex inani motivo determinate judicat, vel practicè dubitat aliquid esse peccatum (jam dictum est n. 101.) non est propriè conscientia scrupulosa, sed spectat ad conscientiam erro-

THEOL. MORAL. PARS I.

L

neam,

neam, vel dubiam; contra quas quamdiu durum  
nunquam licet operari: alioquin peccatur ius-  
rationem judicij vel dubii: prius ergo depon-  
dum est inane illud judicium vel dubium, &  
mandum contrarium judicium practicum,  
*esse peccatum, &c.* atque ita mediately contra iu-  
pulum operandum. Eadem ratione à fortiori  
quā sēct. 3. & sēct. 4. suprà diximus contra opinio-  
nem etiam probabiliorem, & contra dubium iu-  
pulativum, practicè resolvendum & operandum  
*esse.* Advertit tamen rectè *Marchant.* l. i. f.  
factum non esse facile credendum scrupulosum  
etsi affirment, se ex determinato judicio, vel p-  
otico dubio operatos esse, aut consensisse &c.  
cum enim in uno turbati sunt, ita etiam turbati  
potuerunt in alio,

## §. III.

*Remedium generale scrupulorum.*

**108** *E*fficacissimum, & ferè unicum contra iu-  
pulos remedium est, ut scrupulosus judicet  
ac consilio docti & experti Confessarii vel Do-  
ctoris sui, non obstantibus quibuscumque mo-  
bus, & trepidantis rationis suæ argumentis, u-  
nino se subjiciat, & acquiescat, judicium ac op-  
tionem suam audacter conformet, fortiter ag-  
ac velut agonizet contra scrupulos suos, o-  
tandem subsidunt & cessent. Ita uno ore con-  
lunt Doctores. *Ratio est:* Quia quilibet in p-  
ria causa solet esse cæcus. Ergo persuadeat  
scrupulosus, quod unusquisque consilio Co-

farissim, vel alterius viri docti ac probi tutò ac-  
 quiescere possit. Addit rectè Navarrus l. 5. Con-  
 sil. 2. de penit. & remiss. Postquam scrupulosus  
 unius Confessarii, vel boni viri responsum, vel  
 exemplum accépit, quòd non débeat alios con-  
 sulere, ne animum astuescat ad anxietates inutiles  
 diutiùs fovendas. Unde & Confessarius scrupu-  
 losi curam gerens. 1. Ante omnia exigat pro-  
 missionem firmam suis consiliis acquiescendi, &  
 obtemperandi. 2. Doceat, certitudinem mora-  
 lem requiri ad actiones humanas præsertim pec-  
 caminosas: unde nunquam judicandum, aliquid  
 esse peccatum mortale, aut se in peccatum con-  
 sensisse, nisi id certò constet. Sententias item la-  
 xiores, dummodò probabiles judicet, proponat,  
 juxta dicta suprà num. 48. 3. Non permittat  
 Confessiones repetere, nisi afferat defectum cer-  
 tum, de quo quasi jurare possit Poenitens. Esto  
 enim fuisse aliquis defectus, non tamen tenere-  
 tur cum tanto suo damno omnimodam Confes-  
 sionis integritatem procurare, cùm ab ea minores  
 interdum difficultates excusent, uti cum Con-  
 ninck notat Laym. cit. c. 6. n. 2. re med. 64. Do-  
 ceat scrupulosum, juxta consilium Sap. 6. Sen-  
 tire de Domino in bonitate. Neque existimare,  
 cum Législatorern tam rigidum & durum, ut bo-  
 na voluntatis hominibus peccata adscribat, &  
 pœnas decernat, nisi certò se reos sciant. Neque  
 Deum vel Ecclesiam suis præceptis efficere velle,  
 ut homo in tantas anxietates, & denique in stulti-

tiam, vel desperationem cadat, quod scrupulo  
denique contingit, &c. Sed contra hæc est

## §. IV.

*Scrupulus generalis scrupulorum.*

109 **A** Junct: Si morti proximus essem, non audiret  
cum hoc scrupulo, saltem non confessus  
dare, & coram Judice severissimo compari.  
Confirmant. D. Gregorius Epist. ad S. Augu-  
stum Anglorum Episcopum, ait: Bonarum in-  
tium est, ibi etiam culpas agnoscere, ubi culpa  
est. 1. Respondet Sylvester V. scrupulosus:  
3. In illo articulo multa faceret homo, que  
necessè non est, neque expedit facere in vita:  
homo tandem desperaret, vel fatuus fieret.  
Sanch. autem l. I. Moral. c. 10. n. 81. re-  
spondet, etiam in illo articulo consolans  
scrupulosis, ut scrupulosos contemnant: quo  
licet neque Judex justus judicaturus est.  
dictum D. Gregorii respondent Navarrus, Cen-  
son, & alii: Esse id quidem signum animi ad ho-  
tatem propensi, per se tamen bonum non esse,  
scientiae, atque judicii defectum. 4. Aliter  
spondet Layman. cit. S. Gregorium ibi non  
culpa intelligere quemlibet defectum, que  
se ipso homo, agnoscere ac verecundari pos-  
Nam proposita erat quæstio, utrum mulier  
menstrua patitur, ad Ecclesiam & S. Commu-  
nem accedere possit? Respondet Gregorius:  
*ex veneratione magna percipere non prae-  
ländanda est, sed si percipiatur, non judicanda.*

narum quippe mentium est, ibi etiam aliquo modo  
culpas suas agnoscere, ubi culpa non est. Quia  
sepe sine culpa agitur, quod venit ex culpa. Unde  
etiam cum esurimus, sine culpa comedimus, quibus  
excuspa primi hominis factum est, ut esuriamus.  
Hac Sanctus Doctor. Non ergo locutus fuit de  
culpa peccati propriè dicta. Denique ultra con-  
scientiam scrupulosam, aliam assignant dictam fa-  
tuam, vel hypocondriacam : & nihil aliud est,  
quam fatuitas mentis & delirium partiale, ex  
pravo humore vel alia mala dispositione cerebri  
proveniens, quam homo in fatuos discursus & a-  
ctiones prorumpit. Exempla nimis nota. Ve-  
rum hæc ex Theologia ableganda est ad Scholas  
Medicorum.

C A P U T I.

DE

A C T U S H U M A N I

Natura, Requisitis, & Impeditivis.

S U M M A R I U M .

1. Actus humani Descriptio.
2. Actus humanus, liber, moralis, in re coincidunt, & fac-  
lum diverso respectu differunt.
3. Debet esse actus creatura rationalis.
4. Ad actum humanum quatuor requiriuntur.

A S S E R T I O I.

A C t u s h u m a n u s e s t A c t u s c r e a t u r a r e g i o n a l i s , I

L 3